Kercneri Tetra Chimiatrica

10


VERSANTUR HIS TRIBUS

Justus Laigneau
dono dedit Jacobo Vigneroto
amico suo charissimo.

D. O M. A.

TETRAS CHYMIATRICA,

Proponens

PRÆSTANTIAM ET IN MEDICINA EFFICACIAM, AURI, MERCURII, Antimonii, & Vitrioli, & Medicamentorum ex illis paratorum:

OPPOSITA MISOCHYMIS eadem sat frivolè calumniantibus,

ab

ARNOLDO KERNERO Lipsensi Med. D. Philochymiatro.

ERPHORDIÆ,
Ex typographéo Johannis Röhbock/
Impensis Johannis Bircknerí
Bibliopolæ Erf.
1618.

יהוה

ILLUSTRISSIMO PRINCIPI
ac Domino,

DN. JOHANNI ERNESTO, DUCI SAXONIAE, JULIÆ, CLIVIÆ, ET MONTIUM,

Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti in Marcha & Ravensburg, Domino in Ravenstein, &c.

Domino suo Clementissimo.

ARTEM NON HABERE osorem, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, nisi ignorantem, commune quidem at verissimum est dicterium. Ut alias artes penè omnes altò hîc involuam silentio, maximè id contingere circa divinam Chymiam nemini non notum est. Etenim nonne hanc artem omnium nobilissimam, præcellentissimam, utilissimam odio plus quam Vatiniano prosequuntur quam plurimi? Quales-nam autem sunt hujusmodi osores Chymiæ?

miæ? Ut uno verbo dicam, ignorantes: omnes enim, qui quales quantivé etiam aliàs sint, ne gry ejusdem norunt aut intelligunt. Et quò sunt rudiores, quoq; minorem hujus & divinissimæ artis habent cognitionem, eò impudentiores sunt, & eò pertinatiori odio in eam invehuntur, nec non eò rabiosius eandem frivolam esse, & nullius planè usus, quibusvis persuadere, eandemq; modis omnib. invisam atque infestam reddere satagunt. Hinc tot in Chymica & Chymicos calumniæ, tot convitia indies confictis & consarcinatis undiq; mendaciis à Misochymicis effutiuntur, ut vix pejus quid excogitari possit: unde multos deterritos studium Chymiæ cane & angue pejus fugere & execrari videmus, aliorum tantum inhærentes opinionibus. Ut ut autem sit, apud me tamen Misochymici omnes tanti non æstimantur, ut illorum in gratiam sacrum Chymiæ studium deserere voluerim: id potius effecerunt, ut perspecta ejusdem dignitate, necessitate & utilitate summâ ex mirandis & stupendis artis illius operibus me totum Chymiæ emancipaverim; nec hujus me pœnitet propositi, nec pœnitebit unquam. Quoniam vero cum omnibus aliis veræ Chymiæ sectatoribus eandem sortem expertus & ipse Misochymicorum odium & convitia effugere non potui, adeò ut & publicè & privatim suis Calumniis unà cum arte ipsa me quoque dilaniare & proscindere ausi fuerint: asserendæ veritatis Chymicæ & existimationis meæ bonæ ergò, ne videlicet impunè artem Chymicam tangere voluisse videantur,

tur, & ne alii boni me in meipsum crudelem æstiment, famam meam à Misochymicis petitam negligendo, iisdem me opponere fui coactus. Constitueram equidem calumnias in me effutitas patienti animo perferre, indignos judicans calumniatores Misochymicos, quibus cum de hoc negocio ipsis planè ignoto, concertare deberem: Veruntamen ne hæc patientia in vitium degeneret, dum innocentiam tàm artis quàm meam occultando & arti & famæ meæ honestæ labem inferri patiar; nevè alii, qui illa taciturnitate in falsam & sinistram opinionem abduci facilè possunt, putent, non tàm propter patientiam me tacuisse, quàm propter imprudentiam vel stoliditatem, vel artis ipsius vilitatem, vel ob animum hujus vel illius facinoris, quorum Chymicos passim insimulare solent Misochymici, conscium respondere non potuisse aut non debuisse. Ne inquam tam sinistrè de arte Chymica & meipso judicandi ansam & occasionem aliis bonis præbeam, nemo bonus & canditus mihi, credo & spero, vitio vertet, si iniquissimos censores Misochymicos meâ patientia & silentio abuti non ampliùs passus fuero, sed alacri & confidenti, ob fiduciam bonæ causæ, animo me iisdē opposuero; & hoc non tam ausu proprio, quam suasu & instinctu chymicorum summæ eruditionis & authoritatis. Tetrada ergò hanc chymiatricam Misochymicis istis opponere, & quantum chymica vulgaribus Misochymicorum antecellant ostendere, usitatioribusq; eorundem calumniis respondere animum induxi. Hosce autem

 meos

meos Conatus, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, sub C. T. nomine & Patrocinio in publicum prodire volui, cum ea sola mihi digna visa fuerit, cui hæc Tetras Chymiatrica dedicaretur. Est enim C. T. ut artium omnium & scientiarum, ita dubio procul & Chymiæ ceu præcellentissimæ planeq; divinæ, nec non cunctorum eandem citra fucum & imposturas candidè & sincere excolentium fautor Clementissimus & Mecænas unicè suspiciendus: ut taceam nunc alias animi dotes, quæ in C. T. mirè refulgent, divinas & verè Heroicas Principe ex Illustrissima stirpe & Domo Saxonicâ oriundo dignas. Accipe ergò Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, Tetrada hanc Chymiatricam devoti animi mei voluntatisq; humiliter submissæ declarandæ testandæq; symbolum, eamq; sub tuo patrocinio & præsidio ceu Ægide Pallados munitam tueri ab invidorum Misochymicorum calumniis & injuriis dignare. Agnosco equidem, Illustrissime Princeps, hoc quicquid est operis cartacei, in dignum umbræ saltem virtutis & sapientiæ C. T. si statum, ingenium, eruditionemq; atq; in Chymicis peritiam, quæ omnia exigua esse fateor, ponderare velit: attamen non sum nescius, eam in Ill. C. T. splendescere judicii integritatem ac vigere discursus dexteritatem, ut non tam desideratura sit muneris amplitudinem, quam spectatura submissam propensamq; offerentis & contribuentis voluntatem. Quod superest, Illustrissime Princeps Domine Clementissime, Tetrada hanc Chymiatricam gratioso vultu

exci-

excipere, & si quæ è negociorum multitudine dabuntur feriæ, eandem altero saltem oculo aspicere quandoq; Ill. C. T. meq; & studia mea clementiæ suæ favore complecti, fovere, & promovere non dedignetur, humili animi submissione, & ita vehementer, ac si in Ill. C. T. mihi sita sint omnia, rogo atq; contendo. Ego profectò dabo operam sedulo, ut Ill. C. T. cum omnibus bonis brevi experietur, quanta animi devotione, & quanta gratæ mentis testificatione, pro eo quod gratos sibi hosce meos conatus fuisse declaraverit, sint prosequuturus. Deus ter Opt. Max. C. T. in omni bono proposito confirmet, consiliis salutaribus instruat, virtute armet, omnibus benedictionibus exornet, & ab omni malo diutissimè incolumem integramq; cum Fratribus Illustrissimis & tota incluta Domo Saxonica, ad gloriam Divini nominis, & subditorum totiusq; Reipubl. Christianæ commodum & emolumentum conservet & tueatur.

Illustrissimæ Celsit. Tuæ

Cliens

obsequentissimus.

Arnoldus Kerner Lipſ. Philochymiater.

CHRISIS AD LECTOREM
cum salute pacis.

IDem ipse Menippus ex Orco rediit, qui Mercurio revectori gratias debet. Duplex revectionis precium jure à Menippo exigit Mercurius, dum non solus Menippus ex orco redierit, sed cohortem calumniatorum super divinam Chymiam secum in mundum assumserit. Revera insignis audacia Menippi umbras adduxisse corporibusq; reddidisse suis. Dicam quod res est, apparent corporei Illustris chymiæ osores, atqui penitius considerati, toti integri, tanti quanti inveniuntur umbratiles. Umbra est corpus, umbra illorum intelligentia & scientia. Lætare ergò Menippe, qui fermè hac ratione nihil mercedis Mercurio vectori debebis.

Ad Orcum, ad Orcum Menippe cum tuis Comitibus, quippe Furiæ apud inferos vobis singulis suis sacrificatoribus maximoperè indigent. MercurI, tu nobis inservias permansurus, inter nos sublimi sapientia præditos. Age maturetur fuga, mi MercurI, accendas vocem spiritu Hermetis. Fama, Fama. Accurrunt inter quam plurimos auscultatores osores fermè Chymiæ singuli. Quid fama fert? Insolenter proclamat præconia Chymiæ non

dever-

devergentis ſed accreſcentis & triumphantis. Perjuro Deos, obteſtor cœlum & terram, ſolem & lunam & abyſſum, itane eſt? Vero eſt verius; jam triumphat Chymia, quam inter cæteros illuſtrat Tetras hæc Chymiatrica Clariſſimi Kerneri. Eſt Deo laudabilis, magnis & ſapientibus grata, ægris ſalutaris Chymia. Expectes paululum, mi Lector, divinæ & humanæ Chymicæ meſſores brevi prodibunt manipulos ſuos ferentes. Piæ religionis eſt neminem cogere, ſed ſuadere. Sequere, ſi placet; placeret equidem niſi tibi obſtaret, id, quod divinum eſt. Deum & Naturam ne accuſes, quæ ſacra & ſancta biga neminem deſerit.

Antè ruant cœli, & ſeſe Deus oderit ipſe,
Quàm nos conjunctos deſeruiſſe velit.

Vale in Jesu q. N. O.

Julianus de Campis P.

Benevolis & candidis Lectoribus S.

INter quadruplex genus Lectorum, dicendi quoque genere quadruplici compellandum, primi merito sunt artifices Hermetici. Eos submiße rogatos venio, ignoscant & æqui consulant, si fortè minus appositè de mysteriis Chymicis verba fecerim. Discipulum me eorum fateor, qui summo tenear desiderio addiscendi & consequendi mysteria chymica eum duntaxat in finem, ut post laudem & gloriam divini Numinis proximo ægrotanti citò tuto & jocundè inservire possim & subvenire. Hos insuper obnixè comprecor, ut si non in numerum filiorum saltem discipulorum numerum me recipere, errantem in viam regiam reducere, paternè corrigere, & fideliter erudire, contraque Misochymicorum latratus in sui tutelam suscipere non dedignentur. Operam dabo sedulam ut fidelem & obsequentem me agnoscant & taciturnum ac gratum experiantur semper. His jure succedunt Dogmatici, coram quibus solennissimè protestor, me veros, sinceros, eruditos, bonosque medicos Hippocratico-Galenicos minimè hoc apologetico scripto tangere voluisse: quos potius semper dilexi, colui & veneratus sum unicè, atq; etiamnum diligo, colo & veneror, tanquam maximos studiorum meorum promotores & fautores. Verum cum quibus tertio loco mihi est agendum, contra crassiorem & secu-

feculentiorem partem Galenicorum, ut loquitur Crollius, omnia mea dicta sunto, non autem quòd sim animo ad contentiones & convitia prono, atq; proclivi, semper enim à rixis illis & calumniis abhorrui & etiamnum abhorreo: sed partim asserendæ & propugnandæ veritatis chymiatricæ ergo; partem verò ut honestam meam existimationem & bonam famam à frivolis Misochymicorum calumniis sartam tectamq; conservarem & vindicarem. Iis ergò me opposuisse sciant candidi Lectores, non arrogantiæ cujusdam stimulis proritatum, sed ab iisdem prius lacessitum, & provocatum: quod si artis Chymicæ pro viribus defensionem suscеperim & in famæ meæ propugnationem eruperim, & Misochymicos duriusculè aliquantò compellaverim, nemo hoc mihi vitio vertet: moris enim est, antiqui, ut, cum quis, quod vult in alios dixerit, quod non vult ab aliis quoq; audiat. Hoc insuper sciant me nullius personam jugillare, sed saltem cum Misochymicis de artis Chymicæ certitudine, veritate, praeminentia utilitate & necessitate, mihi esse negocium. Ideoq; si quid ulterius sint machinaturi & contra Chymica disputaturi à calumniis desistant, & argumentis atq; rationibus ex ipsa rerum natura petitis utantur, non autem ex hujus vel illius somniis atq; imaginationibus desumtis, amicè admonentur. Sic enim Chymiatros æquos vicissim placidos experientur: Sin vero volupè ipsis erit ampliùs lacessere artem & artifices chymicos, nec chymicis deerunt aculei, quibus vicissim pungantur, & par pari referatur.

Tan-

Tandem Pseudochymicos impostores, jactabundos agyrtas, ceu fucos ignavos & impostores pessimos procul hinc abactos volo; qui sciant, me nihil minus facere, quam iisdem patrocinari noluisse. Meo enim Judicio indigni sunt omni bonorum consortio: nec eorum causa manum & calamum papyro admovissem. Ex omnibus, qui aqui boni & candidi sunt, his me meaq; lubens submitto; quos scio & rogo hunc meum conatum in optimam partem esse interpretaturos. Ivi quò potui; volui quidem ut accuratè omnia proponerentur: quia vero bonæ voluntati non adfuit optata ubiq; complendi possibilitas; in magnis & arduis hisce voluisse duntaxat sat esto. Non semper licet, quod libet. Iniquos, invidos & imperitos calumniatores ne hili æstimo. Vos qui boni & candidi estis, omnes valete & favete, &c.

SECTIO

SECTIO PRIMA
CONTINENS SUCCINCTAM CHYMIATRIAE APOLOGIAM.

Facta diligenti & accurata collatione omnium ſcientiarum artium & ſtudiorum, quibus in tota hac univerſitate vel maximè occupantur mortales, unicum veræ chymiæ ſtudiū reliquas omnes, ſolius ſacro ſanctæ Theologiæ & cœleſtis ſapientiæ ſtudio excepto multis exuperare prærogativis deprehendo. Studium namq; Chymiæ abdita Naturæ eruit, animum ſolida ſcientia imbuit, hominem ſanum & à morbis immunem præſeruat, ægrum ſanitati reſtituit, nulli injuriam facit, omnibus prodeſt, & quod ſummum eſt hominem ad Creatoris ſui agnitionem præ cæteris vel maximè adducit. Unde non abs re Chymia dicitur ſolidæ philoſophiæ fons, clavis ſapientiæ, anima & medulla Phyſices, Medicinæ radix & meta in quam viri ſapientes collimant. Quâ ergò conſcientiâ Rabulæ quidam Athenienſes tam impudenter & ita rabiosè ſacratiſſimam nobiliſſimam & utiliſſi-

utilissimam hanc artem calumniis proscindere, & hinc inde emendicatis ac confictis ratiunculis invisam quibuslibet bonis reddere, imo penitus ex hominum societate tanquam perniciosam & summè noxiam eruncare satagant, hoc est quod demiror. O summa Misochymicorum impudentia & ingratitudo? Deo ter Opt. Max. datori munificentissimo doni hujus præcellentissimi, nobilissimi & utilissimi, quo morborum monstris magis magisque ubivis locorum gliscentibus & ingravescentibus percurandis potiorem & potentiorem imo tutiorem & jocundiorem medendi rationem & Methodum indulsit; Deo, inquam Ter Opt. Max ob id beneficii universi & singuli æternum gratias agere deberent jure omni, ejusdemque bonitatem & misericordiam immensam deprædicare indesinenter. Verũ quæ gratiæ Deo agantur, quavé demũ reverentia donũ hocce excipiatur, quantivé communiter æstimetur dolendum profectò est & deplorandũ. Etenim ne de rudi & imperito omnisq; veri & recti judicii experte fece vulgi quid dicã, quã iniqui sint & ingrati, imo injurii in Deum hujus authorem, in artem ipsam & humanum genus, hac arte summopere indigens, hoc potissimum seculo exulcerato mundi ad interitum ruentis, pleriq;ue qui sibi singularem arrogant & non raro somniant scientiam & medendi

peri-

peritiam, lippis quod dicitur, & tonsoribus notissimum est. Qui enim præ reliquis fata Medicinæ hoc tempore sese ducere jactitant, hi nativa libertate ingenii amissâ & deperditâ servili quadam & nimia credulitate, atque immodica, vel loquitur ex chymiatris quidam haud postremus, imò planè puerili antiquitatis deveneratione, in tantum à Chymiatriæ studio abhorrent, ut etiam audito saltem nomine ejusdem aut Chymici alicujus vel remedii, vel artificis, non solum exhorrescant, verum etiam vomere, imò penitus animo deficere velle videantur. Nec mirum cum subtilis illorum imaginaria, & mobilis admodum scientia à fortioribus remediis Chymiatricis, nimium exagitetur, & quod maximè verentur, penitus concidat & evanescat. Hi, ut rerum suarum curam habeant, pro eo quod donum hocce divinum & veluti Dianæ Lampada ac ignem Promethei cœlitus accensum voce, scriptis, & ipsismet artis operibus defenderent, longè lateque propagarent & in ægrotantis proximi emolumentum exercerent, quod ipsos, si grati erga Deum haberi & esse, deq; genere humano & miseris presertim ęgrotantib. benè mereri vellent, deceret, Chymiatriam planè respuunt, cavillantur ac nullius planè æstimant; arbitrantes suo se satisfecisse loco, officio ac honori, si intempera-

men-

mentis qualitatum dignoscendis totum vitæ curriculum consumserint, omniaq; sanitatem & morbos remediaque concernentia ad ejusdem qualitates & quidem juxta præceptorum suorum placita tanquam ad principia Philosophica, uti vocant, coactè & quasi per capillos reducere conati fuerint. Quasi verò Philosophia & Medicina omnis in Unius & solius Aristotelis & Galeni (quos Misochymici omnes sequuntur, & à quibus vel latum unguem recedere nefas ducunt morte piandum) aut aliorum Ethnicorum Atheorumq; Philosophorum & Medicorum pectore aut fonte adeò sit clausa vel claudi debeat, ut eam vel ab Ethnicorum ore vel à nullo alio latice hauriendi necessitas nobis Christianis imponatur unicè. Neque hoc contenti, sed insuper livoris & inscitiæ stimulis agitati Chymica remedia deleteria, venenataq; & lethifera proclamant, & nescio quam non iisdem adfingant ἰλίαδα τῶν κακῶν: Chymiatros quin etiam atrocium incusant facinorũ, eos ob id dignos judicant, si penes ipsos esset potestas definitivam ferre sententiam, ut virgis cœsi non tam perpetuò exulent, quam extemplo in crucem agantur ad unum penè omnes. Cum autem hæc ipsis hactenus denegata sit potestas, me Christe, quam ingens mare calumniarum & mendaciorum in Chymica & Chymiatros diductis

ductis faucibus evomunt quotidiè, quibus Chymica & chymiatros obruere & submergere satagunt, sed irrito conatu. A partibus enim Chymiatrorum immota stat & invicta veritas: Ea licet ab hujuscemodi Misochymicis prematur, quæ semper veritatis sors fuit & etiamnum est; nunquam tamen ab his nec ipso etiam Diabolo mendaciorum & calumniarum patre opprimetur.

Ne autem perversa hæc Misochimicorum calumniatorum generatio intereat & deficiat, eò omnibus temporibus sedulo laborarunt, ut semper superessent, qui eos sequuntur: hinc studiosos adolescentes fidei institutionique suæ concreditos à studio chymiatriæ deterrere summis viribus connituntur, eiq; chymica & chymiatros invisos reddere vel maximè satagunt. Parũ abest quin eos dixerim persimiles Pharisæis, de quibus ait Salvator, eos, cum regnum cœlorum non intrent ipsi, alios ingredi volentes impedire, & quantum in ipsis est, prohibere.

Invident profectò hi consultores pessimi, studiosis Philochymiatris summam eam felicitatem, ad quam beneficio chymiatriæ emergere possunt, quaq; ipsi Misochymici destituuntur, & ad quam nunquam pertingere potuerunt, nec hoc modo pertingent unquam.

Quænam autem sit hujus perversitatis causa;

& quare Misochymici Chymica & chymiatros ita cavillentur, forte quaeritis? Dicamne? Dicam; licet sciam Misochymicos id pessime habere. Vera destituuntur sapientia; postposita veritate, vanis delectantur sophismatibus occaecati sunt opinionum Ethnicorum tenebris: fastu praeterea Φιλαυτίας tument & turgent; quomodo ergò ad naturae sacraria admitti possunt?

Haec enim, quae dixi reddunt homines à naturae secretis alienissimos; imò penitus ab adytis naturae arcent & longissimè propellunt, adeò ut etiam animum illuc contendendi nunquam inducere velint aut possint.

Dicam adhuc alia; res chymicas planè ignorant, earumque debitas praeparationes & legitimas administrationes penitus rejiciunt inexperti. Dicam ulterius; ignavi sunt & pigri fratres, omnem fugiunt laborem, ideoque in praeparandis medicamentis aliorum non sine causa utuntur ministerio: aversantur enim delicati isti & teneritudinis medicae Patroni narium à fumis & favillis stimulationes, vultus à literibus & carbonibus infectiones manuumque à luto pollutiones.

Quid ergo mirum, quod hujusmodi mancipia opinionum, cum chymiatriam veris rationum fundamentis expugnare nequeant, nil nisi calumnias, convitia, mendacia, conten-

ten-

tentiones & proscriptiones loquantur? Quib. omnib. omni tempore Chymiã, Chymica remedia & ipsos etiam chymiatros diris devoverunt atq; pessumdare sategerunt, & etiamnum devovent atque satagunt Misochymici: dum artem à Diabolo profectam (ô impietatem ô blasphemiam) & ceu absurdam atque insanam, in fraudem perniciemque generis humani ex Paracelsistarum furnis nuper natam eductamque (ô crassam ignorantiam, ô luridam invidiam, ô grande mendacium!) rabiosè & impudentissimè vociferantur.

Antiquorum horumce Misochymicorum vestigia sequuntur, & calumnias ab iisdem mutuantur ex recentioribus nonnulli de proprio enim, quod contra chymiam in medium afferant, nil habent: hinc quidem, quod sibi fortè imaginantur, chymicis remediis & chymiatrorum laboratoriis extremam minitantes ruinam non solum publicis declamationibus, & privatis detrectationibus chymica & chymiatros suggillant, verum etiam quandoque publicis programmatibus studiosos Medicinæ à Chymiatriæ studio dehortantur ac deterrent sumto persuadendi argumento, à cavillis calumniis & conviriis, quæ hiante gutture effundunt & evomunt impudentissimè.

Quos quidem omnes & singulos, cum hoc

ipso suum non tam livorem & invidiam, quam crassam & asininam ignorantiam, omnibus sanæ mentis, & veritatis lumine non privatis, aut affectu aliquo depravatis arbitris & censoribus prodiderint & prodant, indignos judicavi ut contra eos manum calamo admovissem, præsertim cum præter Erasti, Riolani, Guiberti aliorumque Misochimicorum calumnias, sæpius jam & solidè refutatas, nil quod alicujus sit momenti & ponderis in medium adferant.

Verum cum hi ipsi audacter calumniando non solum chymica & chymiatros quibusvis invisos reddere voluerint, sed etiam ex his quidam gloriati insuper sint, se chymiatro os obturasse egregiè, coactus sum veritatis Chymicæ asserendæ & defendendæ gratia, & propriæ famæ ac existimationis à Misochymicorum injuriis vindicandæ ergò arma reassumere, non quidem offensiva sed defensiva. Et hac intentione primâ Tetradis hujus sectione paucis horum Misochymicorum resecandas & examinandas mihi sumo, ut sic quibusvis candidis & sinceris rerumq; peritis arbitris constet, hosce Misochymicos falsò chymiatros tot tantorumq; flagitiorum & facinorum insimulasse, & nil nisi meras calumnias atq; mendacia in mediū protulisse; minimè verò Chymiatro os ita, uti gloriantur, obturasse, ut is

nihil

nihil contra tantos viros mutire debeat aut possit.

Hoc ergo, dum sic aggredior, quosvis veritatis amantes, & rerum naturalium, ceu in natura sunt, non autē ut in hujus vel illius phantasia & per somnia concepta deprehenduntur, peritos, aliosque omnes candidos & sinceros Lectores rogatos venio, mihi Juniori Philochymiatro lacessito à senioribus Misochymicis non succenseant, si forte acerbius quid quandoq; in Misochymicos locutus fuerim: id enim præter mentem mihi accidisse recordentur. Et veniam me promereri posse confido, cum Misochymici primùm calumniando audacter, modestiæ fines fuerint transgressi more omnium Misochymicorum, quos omni tempore, nil præter mendacia & calumnias in chymiam, chymica remedia & chymiatros evomuisse constat.

Ne autem falso quid Misochymicis adfingi videar, bona fide concepta Misochymicorum verba exscribam & paucis examinanda hîc deponam. Sic autem habent; Ut industriæ præceptorum *φιλομάθεια* Apollineis sacris initiatorum respondeat, maximè quidem optamus, ne subterfugiendo publicas lectiones ad fumivendulos, Carboniperdas, *κιβδήλους τῆς ἰατρικῆς* sese avelli patiantur; qui *βδελυροῖς*

 illis,

illis, congenitam ferociam, nulla præparatione, ut ipsimet fatentur, deponentibus, temerario ausu, nulla præhabita discussione causarum, indiscretè cuivis adhibent: & ita calorem nativum mortificando, virium robur prosternendo & violenter omnia turbando, postposita excellentia & nobilitate subjecti corpus humanum miserè excarnificant: sunt illi miseri homunciones constituti ἐν βυθῷ ἀτεχνίης, hostes vitæ, expertesque salutaris consilii, qui semetipsos & alios in miseram vitæ desperationem ad præcipitium trahunt.

Neque nos ita sumus inopes animi, si ratiocinatio & usus medendi, quibus consociatis habitus Medicinæ acquiritur id admitterent, & si hoc modo afflictæ sanitati prodesse possemus, quin ea adhibere valeremus. O non ita, cultores Medicinæ, non ita spiritus cordis atterendi, non ita cum dispendio vitæ fumi jactandi, & fallendi artis imperiti, non sit plus mali in Medicamento quam in morbo: sunt multi Medici, reverò & opera valdè pauci, Hippocratis sunt verba.

Et multa habent circulatores illi splendorem nominis præ se ferentia, ostentationis causa, quæ nunquam de se salutarem spargunt effectum.

Hinc Scaliger Exerc.23 ad Card p. 110. elogio sequenti splendidos hos adulteratores com-

commendat, cum dicit se fornaculas hujus farinæ hominum odisse odio plus quam vatiniano; sunt enim noctuæ ad aucupia crumenarum, à quibus aurum, quod postea pollicentur aliis sibi captent prius.

Nos cum successu & salute humani generis extrahimus vim & efficaciam ex vegetabilibus & aliis quæ terræ visceribus perinde ac nativi fœtus continentur, quæ varios habent effectus & vires incredibiles in abigendis morbosis insultibus, cum secundum Axioma Medicum, tutius sit iis uti quibus nullus error accidere potest, & quorum effectus salutaris multoties fuit perspectus. Hæc annon vestra sunt Misochymici? Negare non potestis.

Sanè, qui hæc ita scripsit, virum se præstitit calumniando; imò os Chymiatros iisdem obturatum sibi ipsi & aliis persuadet. Itanè verò est? Parumper expectet; & reipsa experietur se Chymica & Chymiatros non impunè mordere voluisse: Etenim Philochymiater, quem præter alios præsertim sugillare cogitavit, & cui se os egregiè obturasse gloriatus est, invenit modum & clavem adeptus est, os suum recludendi, & liberè Misochymicis respondendi, calumniasque præfatas ad vivum resecandi; quod hac serie & sermone aggreditur.

Optant itaq; Misochymici hi, studiosos adolescentes fugere commercia & conversationes chymicorum, eorumque devitare laboratoria: suadent contra frequentanda potius esse auditoria, ne forsan paucioribus, aut nullis in auditoria Medica confluentibus παισὶ ἰητρῶν Misochymici isti parietibus & depictis aliquot viris profundam suam sapientiam communicare, & subselliis ac scamnis concepta dictitare cogantur.

Hoc ut apud Apollineis sacris initiatos obtineant, quibus, quæso, utuntur persuadendi argumentis? Nullis profectò, aliis, quàm quæ ipsis Binarius ille calumniator ut cum Crollio loquar, suggessit, calumniis scilicet & convitiis crassisque insuper mendaciis. Ob quæ, digni essent eam luere pœnam, quam mendacibus dictitavit Periander Corinthiorum Legislator, referente authore Horologii Principum c.4. in Epist. M. Aurelii ad Pollionem: Quisquis, ait, aut vir aut mulier in detrimentum alterius mendacium dixerit, integri mensis spacium lapillum in ore gestato; non enim æquum est loquendi libertate frui, qui in mentiendo effrenis est.

Et non immeritò hac pœnâ digni judicantur; quid enim aliud quam calumnias loquuntur, dum chymiatros vocant Gumivendulos, Carboniperdas, κιβδήλους, seu scorias, fucos

cos & adulteratores Medicinæ? Nonne insuper crassa hęc sunt & antiqua mendacia, quando dicuntur uti βδελυρῆς nulla præparatione congenitam ferociam deponentibus? Nonnè grave hoc est convitium & grande mendacium, quod chymiatri acsi ausu temerario, nulla præhabita discussione causarum indiscrete sua quibusvis adhibeant & exhibeant medicamenta, incusantur? Possuntnè atrociores injuriæ & calumniæ in virum bonum dici, quam sunt, quæ in chymiatros hiante gutture eructantur, dum eos calorem nativum mortificando, virium robur prosternendo, & violenter omnia turbando, postposita excellentia & nobilitate subjecti, corpus humanum misere excarnificare, asseritur à Misochymicis? An non infames eos reddere, quantum in ipsis est, conantur dum ipsis Misochymicis sunt miseri homunciones, cōstituti ἐν βυθῷ ἀτεχνίης, hostes vitæ, salutarisque consilii in tantum expertes, ut non solum alios sed & semetipsos in miseram desperationem vitæ ad præcipitium trahant?

Putatis ne Misochymici, chymiatros hæc ita perpessuros esse, nec vobis dicam scripturos, ut de his de quibus eos incusatis, rationem reddere non cogamini sufficientem? Nec hîc excipere potestis; vestra enim ipsissima verba attuli: sunt autem atrocia & arduæ, quæ af-

 fertis

fertis facinora, quorum si rei convincerentur Chymiatri digni profecto essent & meo suffragio, qui non solum Academiis exploderentur & urbibus ejicerentur, verum etiam in crucem agerentur ad unum omnes. Sed, rem longè aliter sese habere nunc brevibus demonstrabo.

Vestræ, Misochymici, calumniæ & vestra mendacia genuinos Chymiatriæ cultores minimè feriunt; si ergo eos tales esse nō probaveris, an non Chymiatri & omnes boni vos pessimos calumniatores & mendacissimos jure habere possunt & dicere? Aliquid veritatis vestris dicteriis fortè inerit, si de impostoribus pseudochymicis dicantur & accipiantur; quos certè à veris & genuinis divinæ Chymiatriæ cultoribus segregare, & in pseudochymicos illos, ut par est, animadvertere debuissetis, minimè verò in sontes pariter & insontes tot calumnias tot mendacia & convitia promiscue & sine omni discrimine effutire.

Impostores siquidem pseudochymici, ut & Empirici Apirici nonnulli tales sunt, qui nulla conscientia induti, nulla scientia imbuti, omnium ferè artium & linguæ etiam latinæ planè expertes, nihilominus in Medicinæ sacraria & Chymiæ arcana irrumpere, & experimenta temeraria per mortes agere, adeoque de humano cono, nobilissimo operationis

nis Medicæ subjecto, impunè ludere non verentur.

Digni sanè sunt hujusmodi impostores & medicastri omnes, tam masculini quam fœminini sexus, qui non tam voce & scriptis refutentur ac corrigantur, quàm, nisi ab imposturis hujuscemodi perniciosissimis abstinuerint, virgis lædantur & in exilium perpetuum mittantur. Hos, si aliquo modo de re medica benè mereri voluissetis, seorsim à veris artificibus Chymiatris segregatos exagitasse debebatis, non autem promiscuè etiam bonos & legitimos quosvis Chymiatros sugillasse: Chymiatri enim impostores illos & quosvis alios Apiricos Empiricos, ceu turbam turbulentam ignaram, ignavam, invidam, maledicam, maleficam & maledictam, æquè semper detestati sunt, & dignos eos, qui perpetuo scholis Academicis & urbibus exulcrent, judicarunt.

Ab his boni & cordati, veriq; Chymiatri Medicinæ studiosos adhortantur paternè, ut sibi sedulò caveant; quod & vos Milochimicos facere oportuisset, non autem ipsis legitimorum Chymicorum commercia & laboratoria, quæ genuinæ sunt officinæ consequendarum virium Medicinalium ex vegetabilibus animalibus & mineralibus ita frivolè suspecta & invisa reddere.

Quin potius si ipsis optime consultum concupi-

cupivissetis, ad chymiatros & hanc Vulcani officinam adducere & admonere vobis laudabilius & studiosis magis necessarium & proficuum fuisset, ut sic chymicorum sacris initiati labores non fastidirent, nec manuum à luto pollutiones & vultus à cineribus & carbonibus infectiones tanti æstimarent, ut ob id laboratoria abhorrere vellent & devitare: quandoquidem superficiariæ illę tantummodo sunt & leviter aspersæ maculæ, spongia & modico aquæ polubro, atq; si opus tantillo sapore de facili separabiles.

In studio itaq; chymiatrico sint φιλοπονώτατοι καὶ ζηλωτικοὶ τῆς ἀληθείας studiosi Medicinæ; in hoc dies noctesq; insudent, algeant, perscrutentur, qui omnibus & salutaribus artis Medicæ auxiliis sufficienter instructi non tantum leviusculis, sed & difficulter curabilibus, imò etiam ab aliis & præsertim Misochymicis pro incurabilibus & desperatis morbis derelictis obviando eosdemq; averruncando benè de genere humano promereri desiderāt.

Cum autem promiscuè citra omne discrimen, uti dictum, cum pessimis impostoribus veros etiam & genuinos chymiatros viros bonæ aliàs famæ & existimationis honestè pungere & mordere Misochymicis voluptas fuit, haud ægre ferre debent, si chymicorum causam egero innocentiæ ipsorum patrocinatus fue-

fuero, & vestras ad vivum tetigero calumnias. Neque est quod mihi succenseatis; cum enim quæ volueritis calumniando in chymica & chymiatros dixeritis & scripseritis, haut iniquum erit, si quæ forsan non volueritis, & quæ minus fortè placebunt vobis, audieritis.

Ac ante omnia, ne vos longis ambagibus detineam, quod chymiatros vocatis Fumivendulos, Carboniperdas, &c. ipsos parum movet, cum convitia hæc sint & mendacia, quibus omni tempore omnes usus sunt Misochymici; quæ propterea quilibet bonus merito irridet & nihili æstimat.

Nemini profectò fucum faciunt ullum, nemini vendiderunt aut vendunt fumos chymiatri: eos ergò tales esse vestrum Misochymici erit, non tam dicere quam firmis & veris probare & demonstrare argumentis, quod cum à vobis hactenus nondum sit factum, vos potius & verius, fumos vendere & aliis fucum facere haut abs re coarguere possent chymiatri. Imò vos tales esse coarguunt tamdiu, donec quod falsò asseruistis, sufficienter probaveritis.

Dicitis præterea eos Carboniperdas; rident id chymiatri: scientes enim & prudentes, imò volentes & lubentes insumunt carbones; nec eis hæc est jactura seu perditio ulla; quando quidem sine hac carbonum insumtione ad arcana

cana Chymica ipsis pervenire licet minimè. Vulcanus iisdem ad operationes chymicas perficiendas carere nullo modo vult aut potest: qui & jacturam ipsam, si quæ est, satis superq; recompensat.

Metuunt fortasse vestrum aliqui, ne culinis ipsorum deficiant carbones, quibus ad assandos lepores magnos & alia fortè lauta fercula paranda indigere possent? Si hoc est, utique haut abs re de Carbonum perditione & jactura incusatis Chymiatros. Sed levia hæc sunt & minima, quæ non curat prætor, quæq; parum morantur & vobis Misochymicis nigredinem & infectionem adeò aversantibus condonare possunt Chymiatri: at non item quæ subnectuntur.

Dicitis illos uti βδελυρῶς; dicitis hæc sed non probatis: vobis autem dicentibus & non probantibus quis adstipulabitur? Nemo sanæ mentis, nisi forsan similes vestrum. Non estis authentici. Ante vos plurimi quidē vobis doctiores hoc chymiatris calumniando obtrudere voluerunt, sed huc usq; obtinere non potuerunt, minus vos nunc obtinebitis. Chymiatri contra, chymicá Medicamenta; quatenus chymica sunt, non solum non esse venenata & perniciosa nec humanæ naturæ adversa & infensa petantur licet ex mineralibus & metallis, Antimonio etiam & Mercurio; imò eadem

omni-

omnib. aliis vulgarib. esse tutiora salubriora & jocundiora, firmissimis rationibus, & per ipsius experientiæ suffragia obtinuerunt: quod ipsũ probabitur, in subsequentib. oblata occasione fusius. Interim si morã hanc ægrè fertis legite sagacissimũ Petrum Severinum Danũ, perlegite propugnaculum Chymiatriç doctissimi Rulandi; evolvite Magnum illũ Quercetanũ, Beguinum, Duncanũ, Scheunemannũ, Sennertũ Chymiatros longè celeberrimos: ut de aliis & prçsertim Mysteriarcha Paracelso, qui in omnium Misochymicorũ oculis sudes est, hîc nihil dicã. Quod ubi feceritis, invenietis certè, quo vestrã hac in parte calumniandi libidinẽ, ne dicãm mentiendi impudentiã coërcere possitis aut saltem debeatis. Sin vobis fortè hujusmodi allegati authores non arriserint, agite, prodite & contra eos, si quid potestis tentate.

Dum autem hæc in defensionem Chymiatrorum, Chymicorumque medicamentorum proloquor, nolo id sibi sumant & pro se dicta accipiant impostores pseudochymici, jactabũdi agyrtæ, & Apirici Empirici, qui quid pro quo, & nescio quæ falsa & adulterina, pro veris & salutaribus remediis Chymicis divendunt & aliis obtrudunt: quomodo quidem nihil minus hæc sint quam genuina medicamenta Chymica. Hos ergo ceu fucos ignavos & pessimos deceptores procul hinc abactos volo; hi

hi aliud sibi quærant patrocinium; hi namque meo judicio indigni sunt omni bonorum consortio; nec eorum causa manum & calamum papyro admovissem.

Quibus male valere jussis, ad vos, Misochymicos vestrasque revertor calumnias, quibus incusatis chymiatros, quod utantur Medicamentis non solum βδελυρῆς & venenatis; verum etiam talibus, quæ nulla præparatione congenitam deponant ferociam. Videte Misochymici quid loquamini. Mineralia dubio procul & metallica intelligitis; hæc autem nulla præparatione congenitam deponere ferociam dicitis: at qua id ratione probatis? Ut ipsimet fatentur, replicatis: quinam verò illi sunt, qui, id fatentur? Mihi sanè inter quam plurimos, qui id dicere aut asseverare ausus fuerit, hactenus obtigit nullus.

Et cur de chymicorum remediorum tam accuratâ solerti & laboriosa præparatione tot præcepta & observationes tradidissent, si nulla præparatione vim ferocientem & noxiam ab heterogeneis substantiis prodeuntem, easdem separando posse tolli crederent & faterentur? Non eos insanire aut delirare credatis. At suspicor, quosdam nostri ordinis fortè hæc in Crollio legisse; si Antimonium, inquit, quod apud vulgus propter vomitionum vehementiam infame evasit & abominabile, ita

præpa-

præparari posset, ut saltem per inferiora suam obiret functionem sine illa vulgari vehementia, quæ tamen (notate hæc & notate benè) in assignatis meis præparationibus, ipsi maxima ex parte est ademta, vix daretur in rerum natura catharticum jocundius: sed præparationem ejusmodi sæpè attentatam nondum licuit pyrotechniæ beneficio impetrare. Hæc Crollius; ex quo, si fortè quod dicitis, chymica præparatione nullâ deponere ferociam probare contenditis, fallimini & fallitis: Crollius siquidem contrarium fatetur, dum adstruit, suis quas exhibuit præparationibus, vehementiam illam vomendi & purgandi Antimonio maxima ex parte esse ademtam.

Et verum dicit; usus namque docuit & experientia flores Antimonii debitè correctos clementer quandoque per inferiora tantum purgasse: Imò chymiatris quibusdam notum est singulare artificium, quo vitrum Antimonii adeò blandum & mite redditur; ut citrá omnem molestiam & naturæ perturbationem noxia quævis per inferiora saltem expurget; quod artificium Crollius fortè ignoravit aut saltem subticuit. Ad hoc non solum illa vomendi vehementia, sed etiam purgandi vis omnis eidem antimonio diligentia præparationum adimitur, ita ut sudorem cieat, urinam moveat, ác sæpe per insensilem saltem opera-

tionem vires exerat salutares. Tale medicamentum, quale infra describam, ex Antimonio parari posse à Philochymiatro in convivio Medices quosdam Misochymicos audivisse recordor, quod cum ratione reprobare non poterant, saltem, concesso quod tale medicamentum præparari posset, eo tamen se uti nolle, illos tum replicasse memini.

Loquimini ita Misochymici, quia invidi estis & præparationum Chymicarum ignari: quibus ignoratis & virtutes ac debitum usum Chymicorum remediorum ignoretis necesse est. Damnare autem quæ non noveritis, insania est: calumnias ergò loquimini, cum dicitis fateri Chymiatros, suis medicamentis nulla præparatione adimi posse malitiam & noxiam ferocientem; tolli enim eam & adimi posse docent, nec non sublatam atq; ademtam salutaris comprobat effectus.

Quod si eam non deponerent, jure temeritatis arguerentur Chymiatri, qui non solum malignis uterentur remediis, verum etiam qui illa indiscrete, ut vos Misochimici nugamini, cuivis exhiberent. Quasi verò ita stupidi sint & stolidi Chymiatri, imò tam perviæ & perfidiæ conscientiæ ut rudium Empiricorum more in administrandis remediis Chymicis nullo utantur judicio, nulla Methodo, nulla discretione, nullane penitus circumspectione. Imò quid

adhæc

adhæc Misochimici? Chymiatri æquè & forsan magis discreti sint atq; circumspecti in administratione suorum medicamentorum: accuratium etiam, penitius ac verius causas morborum rimantur & discutiunt, quam discutere ac rimari solent Misochymicorum plurimi.

Chymiatri enim non in extraneis illis hærent, sed intimius semina & radices morborum indagant, & iisdem averruncandis sua postmodum adhibent medicamenta debitè & sufficienter præparata. Ab his verum malignitatis, si quam forte habeat, remediorum Chymicorum perdomandæ & auferendæ rationem discere, potius & prius debuissetis, quàm ἰλίαδα τῶν κακῶν ex usu remediorū Chymicorum comminisci: quod cum à vobis negligatur & per invidiam atque inertiam non fiat, quid mirum, si nil nisi calumnias evomere potueritis Misochymici? Tales sunt, quando insimulatis Chymiatros, ac si calorem nativum mortificando, virium robur prosternendo & violenter omnia turbando, postposita nobilitate & excellentia subjecti corpus humanum miserè excarnificent.

Atrocia profectò narrantur & homicidii pœnâ digna; sed talia Chymiatros suis medicamentis perpetrasse & perpetrare vobis incumbit probandum, quod in æternum facere non poteritis. Quibus enim

talia perpetrant medicamentis? Non Mercurialibus, non Antimonialibus, siquidem talia innoxia & ab hac calumniæ notatione eximantur infrà: multò minus aliis ex metallis mineralibusq;, omnium verò minimè ex vegetabilibus petitis & chymico artificio paratis remediis tale quid imponi debet aut potest: cum ea ipsa nullam unquam ægrotanti corpori attulisse noxam res ipsa loquatur & experientia contestetur.

Velim autem hæc de chymicè præparatis & legitimè administratis accipiantur duntaxat & intelligantur; minimè vero de crudis non ritè præparatis & perperam sinistrè atque intempestive exhibitis & adhibitis. Hinc à veritate longissimè receditis Misochymici, qui tot & tanta mala chymicis medicamentis & chymiatris adfingitis, & tantorum accusatis incommodorum: nihil enim minus faciunt, quam quod calorem nativum mortificent, virium robur prosternant, violenter omnia turbent, & homines miserè excarnificent: quin potius calorem nativum vivificando, virium robur redintegrando & conservando, turbas turbulentissimas & inimicissimas omnium humorum & aliorum in corpore commotiones componendo & pacando, sanitatem & valetudinem à morborum carnificina, & sic vitam, quantum per artem licet, liberant, optimoq;

statui

ſtatui reddant & reſtituant. Tot contra mala in vos Miſochymicos, & veſtra recepta,(quę quidam haut ineptè recepta obſcurorum virorum indigetat, jure quodam potius & verius dici poſſe videntur: nec deſunt viva exempla multorum, qui de hujuſmodi Miſochymicorum frequenti & immani carnificina plurimum conqueruntur. Hôc ſanè ut cuilibet æquo Lectori innoteſcat, agite Miſochymici, obiter inſtituam collationem & comparationem inter medicamenta chymica, & miſochymicorum vulgaria: Inde ſpero conſtabit chymica vulgaribus longè expeditius & felicius adhiberi morbis percurandis, utpote quibus tutò, citò, & jocundè curantur morbi ſanabiles omnes.

Tutius itaq; curant chymica, quia per accuratam præparationem in iis purum ab impuro, malignum ab alexipharmaco, corporeum à ſpirituali, inutile ab utili eſt ſeparatum, per debitam digeſtionem, ſeparationem & extractionem, quibus omnis cruditas, corporea moles, & alia vires medicinales præpedientia, tollitur, eximitur & removetur. Contra vulgaria veſtra cruda, impura, corporea & inutilia plerunque ſunt: imò ſi fortè aliquam paſſa fuerint præparationem pharmacopœis uſitatam & vulgarem deprehenduntur propterea præcipuam vim & efficaciam deperdidiſſe.

Quid ergò boni inde sperare possunt ægrotantes? Quomodo n. quæsò, ægri calor, per quem & à quo medicamenta sunt in actum deducenda cum adeò debilis sit, ut non sufficiat cibo ἐπέπτω & alias consueto digerendo, separando inque alimentū convertendo, quomodo, inquā, sufficiēs erit, ut ex corporeo, crudo, impuro medicamento exhibito vires Medicinales extrahere possit; potissimum cum medicamenta sint aliàs insueta, nec ita naturę, ut sunt alimēta, familiaria & amica? Quis itaq; non videt, tutius exhiberi Chymica? Quis insuper est, qui eadem ambabus, quod dicitur, manibus non amplecti malit, & reliquis omnibus præferenda æstimet, tam ob operationum felicitatem, tam etiam ob facilitatem?

Citius quin etiam curant, quia compedibus corporeis exuta, ab omnibus remoris absoluta, in actum reducta, viribus exaltata, formalia, spiritulia astralia sunt reddita, quæ à spiritib. Mechanicis per morbos sitientibus avidissimè attrahuntur, ac libentissimè recipiuntur: nec opus habent, ut longiore tractu temporis ab imbecillo ventriculo immutentur, sed ea naturam confestim immutant, & spiritibus homogeneis consociati centrum morbi vi Magnetica inquirunt & magno impetu, citra tamen ægrotantis corporis incommodum hostē adoriuntur, nec operationes suas differunt, sed

ilicò cum morbis colluctari incipiunt, eosque victas manus festinanter dare cogunt.

His paria producite, Misochymici; at non potestis; quia talia nulla habetis: vestra enim plerunq; si salutaris alicujus effectus sunt productricia, tardissimę sunt operationis & sępius morbo palmam; quam morbi ipsis porrigere deprehenduntur. Quis ergò adeò morborū est patiens, & quis adeò morborū divexatione delectatur, qui vulgaria illa tardæ operationis & tardi effectus, Chymicis citissimè & sine procrastinatione negocium suum expedientibus, præferre velit? Neminem ita insanire arbitror.

De jocunditate quid dicam? Ea in Chymicis medicamentis tanta est, ut nec quantitate nec qualitate ægro ullam creent molestiam, aut ullum pariat fastidium. Sunt enim & exhibentur mole parva, quæ ad talium medicamentorum sumendorum accessum invitat; sunt grata odore, qui invitatum magis allicit; sunt suavia sapore qui allectum detinet, sunt deniq; delectabilia colore, qui detentum confirmat. Vestra ex adverso, Misochymici, mole sunt copiosissima, odore ingratissima, sapore insuavissima, colore summè abominabilia. Quis ergò vel ob hæc solùm Chymica vestris non pręferat? Liceat hîc Chymicorum jocunditatem paulò fusius explanare.

Molem quod attinet, quis ęgrotorum est, qui

non citius & lubentius adſumat parum conſervæ, cui grana forte quatuor Mercurii per inferiora purgantis commixta ſint, quam multas Diacatholici drachmas, ſint licet ſaccharo conditæ & in bolum confectæ? Quis non lubentius deglutiat pillulam unam benedictam Quercetani, vel duas ex ejuſdem aut aliorum etiam panchymagogo, vel tres ex duplici illo Mercurio cum extracto liquiritiæ conformatas, quam decem vel undecim quindecim aut plures etiam numero pillularum ſine quibus cocchiarum fœtidarum &c. Quis pro peccantis alicujus materiæ digeſtione non lubentius ingerat juſculum cremore aut Magiſterio Tartari conditum ſubacidum, quam hauſtum agoniſticum Apozematis ſyrupive alicujus Magiſtralis ad deſcriptionem, neſcio quot pedes longam laborioſè confecti? Neminem ſanè inveniri puto, qui hæc præ illis ſeligat.

Iniocunda ſiquidem ſunt & abominabilia vulgaria pleraque omnia, præſertim longa iſthæc apozemata ex lutoſæ alicujus aquæ libra una vel duabus conſtantia: tot inſuper digeſtiva, tot ſyrupi Magiſtrales prolixa Methodo exantlandi, qui vel Marti ipſi terrorem incuterent.

Quid dicam de tot pillulis amaris fœtidis in honorem Romæ ſepticollis ſacro ſeptenario, aut Muſarum novenario, aut numero majori

ſed

ſed ferè ſemper impari ad irritationem devorandis? Quid inſuper commemorem de tantis nodulis infundendis; & aliis amaritudinis poculis exhauriendis, à quibus multi peiora, quam ab ipſo morbo patiuntur, nauſeam videlicet, tormina, flatus, hypercatharſes, virium diſſolutiones, ut mortem etiam præ illis optent? Imò nonnulli ſola dictorum imaginatione nauſeabundi ἄνω καὶ κάτω vomiturient & dejiciunt: in quo hæc fortè quàm chymica citius operationes ſuas exerere videbuntur.

An non hæc carnificina potius dicenda quam medicina? Judicent hic æqui & candidi quivis. Vultis ne præterea Miſochymici, ut de potionibus & aliis vobis uſitatis ſudoriferis quid dicam, & ea hydroticis Chymiatrorum comparem? Haud difficile erit, non ſolum de hydroticis, ſed etiam de aliis corroborantibus reliquiſq; hujus ordinis conſuetis medicamentis, idem, quod de purgantibus & digeſtivis paulò antè allatum, demonſtrare.

At ne tempus hiſce inutiliter inſumam, id dico, vos Miſochymicos in ſingulis ferè morbis non ſolum ingratiſſima odore & inſuaviſſima ſapore, verum etiam tanta mole & copia præſcribere & propinare, ut ea non citra nauſeam & totius naturæ cohorreſcentiam ſummo conatu & vi quaſi deglutire & ingerere cogantur ægri.

An non vos Misochymici hoc pacto carnificinam potius exercetis quam Chymiatri? Loquantur hîc ægri, loquatur experientia. Inde sanè nemini non constare arbitror, pessimè illos ægris consulere, qui Chymica remedia penitus contemnenda, repudianda & rejicienda esse censent & aliis persuadent: contra eos optimè de genere humano promereri velle, qui postpositis aliis omnibus Chymica in usum accersunt & ceu salutaria & summè proficua aliis persuadent. Et in hoc omnes verè medicos incumbere deceret, ut receptis illis obscurorum virorum relictis suis authoribus ea semper in promtu haberent; nec in quo caritatis Christianæ rationem non negligerent, ægrotos suos vulgaribus istis ingratis & nauseabundis medicamentis contorquerent & quasi excarnificarent.

Hæc salutaris consilii loco in medium adferre placuit: ut verò quis sequatur, aut non, penes quemlibet esto mea nil refert. Interim ex hac mea assertione nolo me quis æstimet eum, qui medicamenta dogmaticorum ex ægro Medico penitus eradicata velim & extirpata. Absit ea temeritas, & in præceptores ac venerandam antiquitatem ingratitudo; Salutaria namque ea & proficua lubens agnosco; & fateor me quoque feliciter iis usum fuisse: sed idipsum quoque confi-

teri

teri cogor, nec ipſimet dogmatici, ſi veri & ſincerè candidi eſſe volunt, diffitebuntur, crudiora ſcilicet vulgaria omnia & impuriora plerumq; quam ſunt Chymica ægris propinari. Nemo itaq; hæc mea ſiniſtrè interpretetur; quæ dixi non in contemtum bonorum dicta ſunt, ſed in defenſionem Chymicorum remediorum: nec in deſpectum dogmaticorum ſinceriorum, ſed ad coercendos calumniatores Miſochymicos; ut videlicet habeant, in quo caninam ſuam exerceant faſundiam; interim tamen non deſunt lapides, quibus eos adlatrantes abigere, oraq; eorum, ſi rictus demonſtrare auſi fuerint, obturare poterunt Chymiatri.

Præter hactenus dicta, etiam calumniantur Miſochymici Chymiatros dicentes, Chymiatros poſtponere excellentiam & nobilitatem ſubjecti corporis humani: quid ſi vobis regeſſero, Chymiatros æquè & magis ſolicitos eſſe de cognitione corporis humani adhibita anatome illa vitali, quę origenes, proprietates, ſingularum partium ſcientias & agendi poteſtates inquirit, non contentos illa, quæ cadaverum ſuperſtitioſa propemodum ſectione ſitus & nudas partium conformationes ſcrutatur. Hoc utrunq; dum ſedulò faciunt Chymiatri, annon, vos quæſo, corporis humani excellentiam & nobilitatē indagando debitè non ſolū obſer-

obſervant, verumetiam ſemper optima & diligenti illius habita ratione eidem ægrotanti chymica cum ratione applicant remedia?

Exinde etiam patet, quam iniqui ſint in Chymiatros Miſochymici, dum calumniando eos dicunt miſeros homunciones, conſtitutos ἐν βυθῷ ἀπεχνίης, hoſtes vitæ, expertesq́; ſalutaris conſilii, qui ſemetipſos & alios in miſeram vitæ deſperationem ad præcipitium trahant. Quid dicetis, ſi jure retorſionis utens reſponderim vos Miſochymicos tales revera eſſe? Neminem æquitatis amantem & candidum rerum æſtimatorem id mihi vitio vertere confido.

Quâ enim in ignorantia atque inſcitia verſentur, & quam expertes ſint ſalutaris conſilii ex Miſochymicis plurimi, ſi quod res eſt, hîc ſubjicere vellem, ſcio eos æſtro furoris percitos mihi omne malum comprecaturos & machinaturos: veritas enim odio parit. Sed parum invidorum quorumvis odium & minas: veritas namque veritas eſt, & aſſerenda à quovis bono, fremat licet orbis & orcus. Loquitur experientia. Hoccinè eſt eſſe compotes animi & ſalutaris conſilii plenos, ſi ægri, cum poſt & præter evacuantia, cathartica & diaphoretica quamplurima, conſilia de Thermis adeundis, ceu divinitus & per oraculum communicata parum aut nihil profuerint ad carnifi-

nificem demum ablegentur à Misochymicis? Quis præterea non subinde experitur Misochymicorum horumce inscitiam & salutaris consilii inopiam, dum in dignoscendis affectibus & locis affectis adeò turpiter quandoque hallucinentur, ut etiam læsis renibus exempli gratia pulmones incusent; & dolores tensivos ac pungitivos hypochondriorum solis lambitivis sat ineptè & non sine ægrotantium extremo vitæ periculo, aggrediantur? Sed hęc nihil ad me; videant ipsi quomodo hosce suos errores excusent: hoc saltem Misochymicis calumniantibus respondeo, Chymiatros nullo modo esse hostes vitæ, nec se & alios in miseram vitæ desperationem trahere.

Hoc quidem vulgo notum, Misochymicos quosdam minus circumspecto usu remediorum usitatorum, ægrotos nonnullos & vita & oculis si non penitus privasse, saltem in extremum vitæ periculum conjecisse. Profectò tales Misochymici non solent respicere se, ut cum Comico loquar, cum dicant injustè alteri. Secum hos potius habitare deceret; sic enim nosse possent quam sit ipsis curta supellex: quod si forte novisse nolint, probè norunt alii. Dicitis porrò; Medicamenta Chymica ratiocinatio & usus medendi non admittit, sed redarguit eaq; ipsa sanitati afflictę non prodesse: hæc quidem ita dicuntur à Misochymicis; verum

rum nisi ea quoque probaverint & sufficienter demonstraverint, falsos eos & mendaces quis interim non habebit? Si non estis ita inopes animi, agite probate omnia quæ in Chymica & Chymiatros dicitis & erit mihi magnus Apollo, qui ex vobis id obtinuerit.

Utinam verò non ita animi effetis inopes; aliàs non ita invidiam vestram & inscitiam in rebus Chymicis proderetis, nec manifestissimam veritatem Chymiæ ita protervè calumniaremini. Sed vos densis fastus nebulis, & crassis opinionum tenebris occæcatos, ex hoc facile deprehendit quilibet candidus rerum assertor, quod falsum falso cumulatis; dum Chymiatros suis medicamentis spiritus cordis atterere, fumos jactare & artis imperitos fallere, contra rei evidentiam & vestras conscientias impudentissimè nugamini. Nihil enim minus facere Chymica medicamenta, quam cordis spiritus atterere, supra demonstratum est; & vos mendacii in hoc & aliis, quibus Chymiatros deceptionis & imposturæ insimulatis, coarguit ipsa experientia.

Fuisse semper & etiamnum esse in medicamentis Misochymicorum quorundam plus mali, quam in ipso morbo facilius possunt demonstrare Chymiatri; quam Misochymici de remediis Chymicis; Chymica enim summè

mè ſalutaria, tuta & jocunda eſſe norunt ii, qui quid ſint Chymica medicamenta, & quomodo debitè præparentur ac legitimè adminiſtrentur non ignorant; & experti ſunt ſæpè qui illis in graviſſimis & deſperatis morbis feliciſſimè uſi fuerunt.

Medicos quidem nomine quam plurimos, re autem & opera pauciſſimos hoc potiſſimum exulcerato ſeculo cum divino Hippocrate conqueruntur omnes Chymiatri, & præſertim univerſa ferè ægrotantium turba. Profectò, ſi ii Medici, qui re & opera potius, quam verbis & acutis diſputationibus ſe tales præſtant, veri ſunt Medici; quis ſanæ mentis ibit inficias, plures ex Chymiatris eſſe veros Medicos, quam ex Miſochymicis, ubi ex tanta Miſochymicorum multitudine vix unus atque alter medici nomine venit appellandus condignè? Ad experientiam appello; ipſa me vera dicere multis probat exemplis.

Quæ autem hactenus dicta ſunt, quoq; fortè poſt dicentur, ea non in veros & bonos atque ſincerè candidos dogmaticos dicta me noluiſſe, ſed Miſochymicos illos iniquos calumniatores, corã omnib. hîc ſoleñiſſimè proteſtor.

Veros enim ſinceros, eruditos, bonoſq; Medicos Hippocratico Galenicos, ſemper dilexi colui & veneratus ſum unicè tanquam qui fuerunt ſtudiorũ meorum fautores & promotores,

tores, in quorum ſcholis ad dignitatem medicam ſummam ſum provectus, & à quibus poteſtatem ſum nactus liberè non tam dogmatizandi, ut cum Quercetano loquar, ſed docendi & ſcribendi veritatemque medicam voce ſcriptis & operibus aſſerendi & propugnandi. In hos, abſit, ut quid ſiniſtri & iniqui dictum voluiſſem: at in craſſiorem illam & fæculentiorem partem Galenicorum, Crollii verbis utor, iniquos videlicet & imperitos atq; invidos oſores & calumniatores divinæ chymiæ, & chymicorum tam artificum quàm remediorum omnia mea dicta non diffiteor.

Quid porrò intelligant Miſochymici per hæc verba, circulatores illos (ita vocant Chymiatros per calumniam) multa habere ſplendorem nominis præ ſe ferentia, oſtentationis cauſa, quæ nunquam ſalutarem de ſe ſpargunt effectum: quid inquam per hæc verba intelligant non ſatis aſſequor, niſi fortè titulos, quibus ſua medicamenta Chymiatri appellare conſueverunt.

Si hoc vultis, agite, unicum producite medicamentum chymicū, quod à vobis, ut decet, præparatum aut ab aliis præparatum, ſaltem per vos legitimè adminiſtratum ſalutarem de ſe non ſparſerit effectum. Nullum poteſtis: quare? Quia nullum ſcitis nec cognoviſtis unquam; multò minus præparaſtis, omnium verò mi-

rò minimè aliquo usi fuistis. Qui ergò de effectu remediorum Chymicorum, cum eorum planè sitis rudes & ignari, tam sinistrè judicandi animum inducere potuistis?

Fateor Chymiatros splendidis nominibus & titulis aliquando sua insignire Medicamenta; sicuti præ cęteris sagacissimus Quercetanus ex solo Antimonio duodecim dat medicamenta, quæ splendidissimis appellitat nominibus: vocat enim Panaceam, panetreston, Ξωήφιλον, Θεόδοζον, Θεοπέμπτον, λυσιπύρετον ἰσόχρυσοι &c. Vosnè Misochymici hæc tantum virum ostentationis causa, & non quod revera salutares de se spargant effectus ita scriptis communicare voluisse asserere audebitis? Vix ita vos insanire arbitror.

Nomina verò hęc & alia Medicamentorum Chymicorum inanes esse titulos salutari effectu destitutos probare si potestis & intelligitis: aut si non potestis nec intelligitis, ea imposterum conviciis & calumniis proscindere nolite; non enim impune vos illa calumniaturos cogitate. Hoc potius vos Misochymici satagere deberetis, ut vestræ hieræ aureæ, athanasiæ aliaq; medicamenta splendidis titulis insignita salutares illos, quos tituli isti promittunt, præstarent effectus. Quod si fortè quid aliud hisce verbis innuere voluistis, si candidi estis proferte: Chymiatros dubiò procul

haut mutos & haut inermes invenietis & experiemini.

Quæ ex Scaligero objiciunt Misochymici, huc minimè quadrant, non enim vir ille exercitatissimus Chymiatros tangit & taxat, sed impostoros Alchymistas, sophistice transmutationem metallorum & Chrysopæiam Thrasonicè jactitantes. Id ejus ipsissima dant verba, cùm ait; Odi odio plus quam vatiniano fornaculas istas PseudoAlchymistarum videlicet: eæ enim revera sunt noctuæ ad aucupia crumenarum à quibus aurum quod postea pollicentur aliis sibi captent prius.

Hoc etenim Chymicus quidam præcellentissimus pro nota infallibili publico scripto contestatus est, per quam fuci pseudochymici possunt dignosci, promissio videlicet vanissima & mendacissima earum rerum, quarum apud ipsos est summa inopia & penuria. Idemne faciunt Chymiatri? Mendacium loquimini si id adferitis; & injuriam facitis doctissimo Scaligero, dum eum ita sinistrè de Chymiatris & Chymicis remediis sentire & statuere affirmatis.

Malè ergò & inepte, quæ de impostoribus Alchymistis & aurum prò pauco multum promittentibus, verè dicuntur ad Chymiatros insontes contorquere audetis. Nihil enim ad propositum facit & inepta est argu-

mentatio; Alchimiſtæ impoſtores dum aurum facere mentiuntur obſunt ſocietati humanæ: Ergò Chymiatri ſunt fumivenduli, circulatores, adulteratores medicinæ. Aliud namque eſt, Chymiatrum eſſe, aliud Alchymiſtam; & aliud adhuc eſſe verum Alchymiſtam, aliud verò impoſtorem ſophiſticum.

Quod ſi forte veros philoſophos Chymicos in hoc tranſmutationis metallorum negocio, quod poſſibile licet difficile credidi ſemper & adhuc credo, ſi eos, inquam, ſugillare vos lubido urget, habebitis utique quod cogatis: in vos enim crabrones irritabitis, quos non tam facilè à capite tuo abigere poteritis, quin morſus eorum ad vivum vos perſentiſcere faciant.

*S*ed hæc me parum movent, hoc potiſſimum loco: vos ipſi ſi vos urgebunt, quomodo placare velitis & poſſitis, videatis.

Ad medica revertor; in his ut præ aliis aliquid eſſe videamini, cum tamen nulli ſitis, ſat pomposè de vobiſmet ipſis ſic ſcribitis: nos cum ſucceſſu & ſalute humani generis, extrahimus vim & efficaciam, ex vegetabilibus & aliis quæ terræ viſceribus perinde ac nativi fætus continentur, quæ varios habent effectus & vires incredibiles in abigendis morboſis inſultibus,

 Vobiſ-

Vobiscum fateor in vegetabilibus & aliis quæ terræ visceribus continentur (per quæ aliud quidquam mineralia, metalla, & similia vos intelligere haut reor) maximam vim & efficaciam esse ad morbosos insultus abigendos. Habent sanè hæc omnia vires maximas & effectus edunt incredibiles in percurandis morbis maximè mineralia & metalla, verum non cruda ea & impura corporeisque adhuc detenta vinculis, sed digesta, depurata & à compedibus soluta.

Ideoque rectè facitis, quod vim hanc & efficaciam extrahere connitamini. Prius autem quam ulterius progrediar est quod ex vobis quæram, quo videlicet extractionis modo utamini. Miror sanè imò demiror, quomodo vos ex dictis terræ fœtibus mineralibus præsertim & Metallis vim & efficaciam ægrotis salutarem extrahere asseratis & jactitetis cum non solum omnem operationem Chymicam rejiciatis, Chymicorũq; laboratoria & furnos destructos velitis, verum etiam supra fassi sitis, Chymica remedia, propterea quod ex mineralibus & metallis desumantur, venenata perniciosaque esse, nulla præparatione adhibitâ congenitam deponere ferociam.

Si nullâ, quod vos fatemini; Ergo nec vestra: ad quid ergò extractionem eorundem vos moliri gloriamini? Vobis fortè modus qui-

quidam ſingularis parandi & extrahendi vim medicamentoſam notus eſſe poteſt, quo veſtrum quidam tantam efficacium extractorum copiam pararunt, ut inde aliquot centenarios florenorum ſibi comparaſſe jactitarint.

Sit ſanè, nec hoc illis invideo: quiſquis autem & qualis ille modus ſit, neceſſario, vel ad communem Pharmacopœis uſitatum, vel ad Chymicum veris duntaxat artificibus cognitum & conſuetum referri debet. Utro nunc modo veſtræ parentur extractiones veſtrum erit reſpondere.

Si Chymico modo, & Chymicis præparationibus eas ſuſcipitis & perficitis, vobis cum lubens conſentio, & dignos laude vos judico; Sin communi illo & pleriſque pharmacopœis hodiè uſitato, vos eam vim & efficaciam ex mineralibus potiſſimum & metallis nunquam conſequi poſſe, vobis in faciem dico. Chymiam ignoratis & propterea eam odio habetis, cujus ſolius beneficio & adminiculo vim illam & efficaciam tam ex vegetabilibus quam ex mineralibus & metallis adipiſci quis poteſt: quomodo ergò & quam verè vos eam extrahere dicatis, niſi id facere forſan videri ſaltem velitis, non aſſequor.

Communem quidem parandi medicamenta rationem & in officinis hodiè uſitatam fortè aliquo modo callere poteſtis: ſed eam ad

hoc negocium invalidam & inutilem planè esse, vobis respondeo. Dato etiam quod in vegetabilium extractione vulgaris hic modus quid virium habet: in mineralibus autem & metallis eundem planè nihil valere & posse, norunt veri Chymici, & non inficias eunt vulgares vegetabilium extractores.

Quin imò, ut dicam quod res est, communi usitatoque præparandi medicamenta modo, non tam vis medicamentosa extrahitur, quam penitus aut saltem majori ex parte deperditur: Ideoq; communem hunc modũ non pro vera extractione eaque artificiosa & proficua, sed pro inutili planè & damnosa medicamentorum corruptione cum Chymiatris doctissimis habere cogor. Audite, quæso, quid nuper quidam haut obscurus Chymiater de modo parandi medicamenta in officinis hodiè usitato scripserit: De his quidem, ait, multa mihi essent dicenda, quæ in variis hallucinationibus Pharmacopeorũ omnium fere, proh dolor, occurrunt. Quæ n. per Deum immortalem non sunt cruditates, impuritates terrestreitates, in eorũ decoctis syrupis julapiis & id genus aliis quæ vitia satis deprehendit & corrigere studuit in Pharmacopæa sua dogmatica restituta doctissimus Quercetanus. An non risu digni sunt Pharmacopæi nostri, summoq; irrisu, dum decocta faciunt, in vasis apertis, ut subtilior pars medi-

medicamenti evanescere, exhalare possit atq; evolare. [Spiritus nempe, in quib. ferè solum & unicè omnis vis & efficacia medicamentosa consistit.] Verum Pharmacopolæ quidam in Italia, quia ingenii aliquid dedit regio, subtilius quid excogitarunt, si Diis placet, dum decocta quidem faciunt clauso vase, sed fistulam interim amplam infigunt adscendentē, ut per eam vapores exhalent; imò subtiliores partes medicamenti. O insipidam sapientiam, ô crassam inscitiam & vesaniam.

Memini me olim cum Patavinam Academiam incolerem, in Musæo meo nares mihi non tardius suggesisse, quid in vicino Pharmacopolio conficeretur, quam ipse aliquid attrectaret Pharmacopæus. Hinc plateæ, quæ pharmacopolas inhabitantes habent quasi in Arabia stratæ sint. Ibi tot odores fragrantissimi, quibus vicinos beant aromatarii isti, miseros autē ægrotos, partibus medicamenti subtilioribus privant, spoliant, & sæpè desperatæ salutis & ægritudinis majoris causa sunt.

Unde non mirum est, plurimos ægros mortem optare potius & deligere, quam ullam confectionem pharmacopolæ vulgaris. Citius iis venenum persuaseris & quidvis aliud, quam pocula ejusmodi magna, tot fecib. atq; impuritatib. onusta terrenis. Sed nemo est pharmacopolarum, qui non interim cristas erigat, & fastuo-

ſtuosè ſua omnia extollat, ac ſi omnem artificii medullam penitus & ad unguem teneret. Hæc infelicia noſtra ſunt ſecula. In honore ſunt & lautè vivunt, qui medullam & nucleum abjiciunt, oſſaque & cortices maximo precio vendunt; feceſque carius, quam vinum quod deperdunt generoſiſſimum. Hæc ille.

Si itaque [non obſtante authoritate & dignitate doctorali, quâ vulgo indignum judicant, ut Medicus ipſe manum præparationibus medicamentorum artificioſis adhibeat] & ipſi extractionibus & præparationibus medicamentorum debitis & neceſſariis incumbitis, meritò eſtis laudandi: Sin verò aliorum miniſterio & ſic communi modo, neglecto artificio Chymico utamini, & vos illo vulgari tam precioſa medicamenta extrahere gloriamini, non video quomodo vos & veſtræ extractiones irriſionem Chymiatrorum effugere velint & poſſint.

Interim, ſi ita ſubet veſtro hac in parte ingenio ulterius perfrui, per me ſanè licet, nec id Chymiatri morantur, aut propterea vobis ſuccenſent: potius, quo adhoc maximè indigetis proſperum comprecantur ſucceſſum. Illud ſaltem vos admonitos volunt, ipſorum ſacra illoti ne attingatis, niſi manus comburere geſtiatis: ſuadent inſuper, ſi quid impoſterum contra Chymica & Chymiatros dignum tan-

tis

tis viris & practicis tot annorum in medium afferre volueritis, ut id faciatis animo veritatis avido & solidis atq; veris rationum verè Philosophicarum & Medicarum fundamentis, non autem animo veritatem opprimendi & aliis detrahendi per frivolas calumnias & convitia, quod hactenus facere soliti fuistis.

Quod si à calumniandi libidine desistere nolueritis, sciatis Chymiatros tanquam viros bonos & cordatos ad convitia sæpius jam illata non ita occalluisse, ut non essent in sui defensionem erupturi si res ita postulaverit, & hanc Misochymicorum petulantiam coërcituri & repressuri. Et hoc vobis per me minimum Chymiatriæ sectatorem significatum volunt Chymiatri, mentem saniorem vobis omnibus & singulis veritatis Chymicæ osoribus à Deo Ter Opt. Max. ex affectu Christianæ caritatis unicè comprecantes.

Coronidis loco à vobis universis & singulis Misochymicis rationem & causam anquiro, quare, cum Chymica ignoretis & negligatis, me & alios, qui iisdem ritè & artificiosè præparatis dextrè & circumspectè mecū utuntur apud plerosque invisos & si penes vos esset, infames quoque reddere & pessimè traducere præsumatis.

Si nihil aliud habetis, quod in me & aliis Chymiatris taxetis [habetis autem nihil certo

ſcio, pro me loquor, pro ſe quoq; alii loquentur Chymiatri; & conſcientia bona & pura fretus vos provoco, me de aliquo, quod virum bonum & medicum verum non deceat, arguatis] ſi inquam; nil aliud habetis niſi quod Chymicis utar medicamentis: ſatius profectò eſſet tacere, quam hoc modo veſtram erga me & alios Chymiatros invidiam, nec non in arte craſſam ignorantiam propalare.

Quid enim hoc eſt dicere, hic utitur Chymicis medicamentis, ergò eſt ſuſpectus, nec ſanitas & vita ęgrotantis illi eſt committenda? Quid præterea & hoc eſt dicere, hic vulgarib. utitur medicamentis, atq; vaſta & aliquot pedes longa exſcribit & præſcribit medicamentorum recepta; Ergo magnus hic eſt vir & medicus peritiſſimus: Ergò huic potius cura corporis eſt concedenda, quam illi, qui paucioribus contentus chymicis utitur Medicamentis? Egregia ſanè argumentatio. Quaſi vero Chymica talia ſint, quæ ut ſunt Chymica dextrè utentem reddunt ſuſpectum: Contra uſus vulgarium illorum faciat, ut qui rudis aliàs ſit & parum in arte medica verſatus Chymiatris eruditis, peritis & exercitatis jure præferatur.

De jure hîc non ſine cauſa quæritur; ſiquidem de facto ſe Chymiatris præferri cupiunt Miſochymici; quod ut conſequantur, cum operi-

peribus artis sibi præstare nequeant, Chymiatros & Chymica remedia audacter calumniando sibi consulunt & prospiciunt.

At quicunque hoc de Chymicis dicitis, irridentos vos meritò exponitis quibusvis bonis & candidis: imò castigatione digni estis, qui tam iniquè & sinistrè de re ignota & inexpertâ judicatis. Vestram enim eo ipso non solū proditis simplicitatem, naturæq; & Chymicarum rerum inscitiam; verum etiam & potius maledictam vestram invidiam. Sanè quemadmodū vulgaria & præsertim debitè administrata medicamenta, [in quo tamen multos medicastros rudi quandoq; agyrta, & Aleydâ non rarò medicastrâ rudiores & imperitiores non vulgarē interim medēdi peritiam sibi arrogantes, crassos & severè animadvertendos errores cōmittere, deprehendere licet,] quemadmodum, inquam, ea minimè repudianda & rejicienda judico: ita nullā adhuc rationem video nec audio sufficientē, ob quam suspecta esse debeant medicamenta Chymica, legitimo artificio præparata, & κτ λόγον à prudenti & circumspecto medico usurpata. Imò plures & potiores sunt rationes, quorum aliquos hoc discursu attigi, ob quas Chymica vulgaribus longè præferenda esse censeam, ut quæ curationis securitate, dexteritate, brevitate & jocunditate vulgaria omnia multis post se stadiis relinquant.

Hæc

Hęc cũ adeò vera sint, ut etiam Misochymici, modò à calumniis abstinuerint, nil veri, nil solidi, quodque alicujus sit momenti in contrarium afferre possint: quis sanæ mentis, & æquus ac candidus rerum arbiter mihi vitio vertet, quod me totum divinæ Chymiæ studio emancipaverim? Et licet sint qui id mihi vitio vertant; in acquirendis tamen medicamentis Chymicis summè salutaribus ego nulli labori parcere constitui; acquisita præterea per Dei gratiam & ex liberali Chymiatrorum Chymicorumq; artificum communicatione in usum transferre connitur quandiu vixero.

Ego Deo inprimis devota animi submissione gratias ago quas possum maximas, & mihi ipsi gratulor, quod ad hanc felicitatem mihi aditus fuerit concessus: gratias quinetiam habeo, habebo & referam iis omnibus & singulis, quorum amico instinctu excitatus, instructione paterna edoctus, & manuductione fideli ad Chymica hæc mysteria adductus sum; nec ullus quantumvis videri velit magnus Medicus, sibique in arte medendi præ aliis multis ipso longè doctioribus & peritioribus plurimum tribuat & arroget, me ab hoc proposito laudabili grato & utilissimo dimovebit unquam.

Interim qui invidis istis & maledicis linguis impudentibusq; calumniatorum osoribus patulas

tulas & credulas præbere aures, atque loco Chymicorum remediorum parva quantitate, odore, saporeque jocundo & haut ingrato, at viribus stupendis & summè salutaribus citò, tutò & jocundè negocium suum in morbis etiam pertinacissimis averruncandis expedientium, nauseabunda illa tetri plerunque odoris & saporis abominabilis remedia vulgata, quantitate & mole sat notabili deglutire, devorare, exhaurireq; malit per me lane licet.

Neminem ad Chymica cogo; & nemini me meaque obtrudo. Qui mea uti operâ velit & Chymica nolit is me quoque sibi paratum & forte sufficientem in consulendo, & usitatis præscribendis reperiet & habebit.

Possum enim & ego, si res & occasio postulat, vulgata & usitata in cartam consignare & præscribere pari solertia, & non minus prospero successu ac forte alius quispiam Misochymicorum: quod tamen citra injuriam, invidiam & arrogantiam dictum & acceptum volo. Vobis Misochymicis ego vestra relinquo, vos Chymiatris sua & mihi quoque mea relinquite: &, quod ignoratis, quodque cerebella vestra crassiora & Bæctica, delicata volebam dicere capere non possunt; aut quod livor & invidia, ut de Philautia nil dicam, capere non permittit imposterum cavillari desistite, & à calumniis ac detrectationibus [quibus Chy-

Chymica & Chymicis utentes Medicos contra manifestam veritaté, contra experientiæ multijugæ suffragia, & ipsammet vestrã conscientiam proscinditis, & apud quosvis invisa & invisos reddere satagitis] linguas vestras coërcete, si cãdidè estis & nõ perditè mali, Sic n. major inde vobis accedet authoritas, nec ansa erit vestra cõvitia in vos ipsos retorquendi, & duriusculè ac acerbius vos cõpellandi. Hoc interim scitote, Chymica remedia omnia, quę vera sunt Chymica, sive vobis ea grata futura sunt, sive non, nihil omnino dãni inde perpessura: quin potius stupendis, certis & salutarib. effectibus suis, vobis etiã invitis, triumphabũt, & vos Misochymicos vestraq; recepta confusione operient maxima, inq; locũ obscurorum virorum præcipitabunt. Parũper saltem expectate; divinæ & humanæ Chymiæ messores, in procinctu sunt; brevi prodibunt, manipulos suos ferentes & trophæa sua figentes. Atq; hæc sunt, quæ pro veritatis Chymiæ & medicamentorum Chymicorũ defensione contra Misochymicos huic sectioni Apologeticæ expediunda commissa erant. Si quis fortè acerbius quid in Misochymicos dictũ putabit, is meminisse velit voluptatis quam in maledicendo bonis & cavillando innocentes ceperuntMisochymici: meminisse etiam velit, Misochymicos prius lacessivisse Chymiatros, quib. nulla cum ipsis unquam

quam fuit controversia, quiq; nulli illorũ mali quid fecerint, imò qui de ipsis antehac semper honestissimè & modestissimè senserint ac locuti fuerint. Tandem Misochymicos commonefacio, ut imposterũ quiescant, & non amplius calumniis pungant Chymiatros, qui aliàs de ipsorum rebus parum sunt soliciti: quod si fecerint, Chymiatros quoq; placidos & modestos habebunt & experientur; sin verò suis eos traducere & Chymica arcana injustè & inique calumniari perrexerint, non ægrè postea ferant, si in sui defensionem & famæ suæ bonæ & honestæ assertionem alacriores eruperint & arcana Chymica ultimis hisce mundi temporibus à Deo Ter Opt. Max. clementissime concessa, omnibus medicamentorum vulgarium generibus longè præstantiora à vestris vindicaverint calumniis & mendaciis.

Satius vobis sit vel discere meliora, vel melius institutis non invidere, vel saltem ignota non reprehendere: sin verò aut discere meliora recusaveritis; aut bonis invidere, aut ea quæ vestrum excedunr intellectum reprehendere perrexeritis, Chymiatros nihil morari conatus vestros sciatis. Futurum enim sciunt & brevi futurum avidè expectant, ut tandem obtineat VERITAS CHYMICA, & illas tenebras suo fulgore dispellens, singula cujusmodi revera sunt patefaciat.

SECTIO

SECTIO SECUNDA
de
AURO.

Postquam Misochymicorum effutitas nuperrimè calumnias succinctè; examinavi, & Chymiæ ac Chymicorum innocentiam in genere ab injuriis illatis vindicavi: in specie nunc ad amplificandam veritatem Chymicam, & propugnanda ulterius & uberius medicamenta Chymica constitui in gratiam studiosorum Medicinæ & aliorum Philochymiatrorum Tetrada Chymiatricam subjicere, dicturus de Medicinis nonnullis ex Auro, Mercurio, Antimonio & Vitriolo parandis; quæ dignitate necessitate & utilitate aliis omnibus tam ex vegetabilibus quàm etiam mineralibus & Metallis longissimè sunt præferenda. Quod ipsum hac serie quibusvis candidis & sinceris lectoribus, Deo ὑγιείας καὶ πανακείας unico parente vitam & vires suggerente communicare aggredior.

Inter quam plurima & ferè innumera medicamenta Chymica primum jure obtinent locum ea, quæ ex mineralium familia petuntur; ut quæ præ reliquis omnibus vim & efficaciam insultus morbosos abigendi, morbosque

que ipsos penitus eradicandi obtineant maximam & potentissimam.

Sunt enim hæc, si legitimè præparata καϑ' ἔνδειξιν, εὐςόχως, oportunè, à Medico docto, perito, prudenti, & circumspecto in usum adhibeantur, verè ut Herophilus ajebat, χεῖρες τῶν Θεῶν: tanti quippe sunt & vulgaria medicamenta omnia syrupi omnes, omnes essentiæ, quicquid denique solers & diligens elicit Chymista vel dives India mittit, quanti Medicus, qui illis doctè & appositè observatis obserservandis uti noverit.

Sin verò inconsideratè intempestivè & ἀλόγως, indoctus medicus, agyrta audax, aut temerarius impostor alius Chymicis uti præsumserit; huic certè sunt ceu gladius in manu furentis: ab his ergò sibi maximè caveant & eos tanquam hostes vitæ temerarios devitent & execrentur omnes, qui vitæ & sanitati suæ optimè cupiunt consultum. In tanta verò copia Chymicorum remediorum ex mineralium ordine petitorum Chymiatri primas tribuunt & conferunt quatuor subsequentibus Auro, Mercurio, Antimonio, & Vitriolo, ut pote quæ præ cæteris medicamenta exhibeant efficacissima & stupendis operationibus in desperatis casibus celeberrima; quæq; proximè ad Medicinam illam universalem acce-

dant, cujus efficaciam æmulantur. De his ergò in specie & seorsim nonnulla in medium proponere placuit, eum præcipuè in finem, ut divinissima hæc medicamenta à Misochymicorum calumniis vindicentur: quod statim citra ambages & verborum lenocinia sic exordior.

Auro primæ meritò conceduntur; est enim omnium Metallorum Rex & caput, metallum purissimum & perfectissimum cordiq; humano imprimis amicissimum, &cum sole cœlesti singularem obtinens concordantiam: ob quam prisci sapientes uno eodemq; charactere hieroglyphico & solem cœlestem & solem terrestrem denotare prudenti consilio voluerunt. Veteres enim, ut hoc obiter dicam, metallis characteres & nomina cœlestium Planetarum impertiti sunt, non quidem fortuitò & cœco quodam ductu ac inani persuasione; sed quod singularem utrinq; cognoverint correspondentiam, & quod se invicem sine magno discrimine, interpretari viderint & deprehenderint. Suam ergò prodùnt stultitiam, & crassam detegunt ignorantiam scioli quidam, qui hujuscemodi characteres hieroglyphicos, sapientum naso adunco suspendunt, &quasi rem nullius momenti explodere impudenter præsumunt dicentes; Chymistas aurum signare & denotare per circulum cum puncto in medio

dio, & Lunam seu argentũ per figuram capitis mortui:idq; eum in finẽ, ut velint eo ipso indicare solem ægrotantem auro, Lunam verò argento debere curari. Vah! quæ hæc est stultitia? Quæ insulsa, puerulis & ferulis digna inscitia? Quis Chymistarum unquam Lunam figura & charactere capitis mortui denotavit aut depinxit? Equidem eosdem uti charactere capitis mortui haud ignoro; sed non pro denotanda Luna aut argento, verum pro designando capite mortuo, ut vocant materiam post peractam suam operationem, relictam terrestrem.

Utuntur autem hisce figuris non enim in finem quem tu tibi imaginaris Misochymicæ, quasi vellent Solem & Lunam Planetas cœlestes remediis aureis & argenteis esse curãdos: quod si tantæ solummodo fuisses discretionis, ut dixisses Solem & Lunam Planetas Microcosmi ægrotantes auro & argento, exinde scilicet petitis & erutis medicamentis esse persanandos, rem forte tetigisses. Sed cum hæc sacra ob ignorantiam odis & contemnis, doleo, te tam scurriliter lapsum, & te ad tui similes ablegatũ relinquo. Interim scias volo, priscos illos sapientię Chymicę Antistites, nõ ita superficiarios & insanos fuisse, ut sub notis, istis hieroglyphicis, nil secretioris & notabilioris, pręter ejusmodi nugas, quas tu ipsis adfingis, innuere voluissent. Etenim ut aliis omnib. omissis, de cha-

ractere Solis vel auri, qui ☉talis est, aliquid saltem subjiciam, tam solem cœlestem, quam terrestrem Aurum, arrige aures nasutule, priscos istos sapientes figura circulari cum puncto centrali denotare voluerunt; jure meritò & summa cum ratione: Cognoverunt enim per Lumen GRATIÆ ex Lumine Naturæ *Aurum circulum quendam esse, cujus centrum sit circumferentiæ innatum.*

Hoc si obscurius forte sit, quam ut abs te & tui similibus possit intelligi, age ut tibi quodammodo consulatur clarius dicam & dilucidius: *aurum* scilicet *esse homogeneam substantiam, cujus millesima pars & quidem interior sit formalis & agens, reliquæ verò materiales & formatæ.*

Est ergò Aurum circulus à natura ipsa circumscriptus, non imaginatione Mathematica, sed reali & Physico ductu delineatus, ad quem collimant omnes res humanæ tanquam sagittæ ad umbonem & metam; ut loquitur vir sagacissimus Micha: Majer: in suo circul: Phys. quadr. c. 1.

Non abs re igitur Auro attributam esse figuram circularem, & ea ceu nota hieroglyphica summam auri perfectionem à priscis illis sapientiæ antistibus notent ridiculi illi & insulsi Chymicorum secretorum irrisores, & si sapere volunt quod ignorant, addiscere non erube-

erubescant. Sed hoc jam missos facio & dico, in Auro seu Aureo hoc circulo tanquam figura naturæ munitissima esse & contineri dotes uberrimas reconditas; imò aurum esse quasi centrum omnium humanarum actionum: & quod præ reliquis hìc maximè inquiritur, pollere internis, iisque reconditis virtutibus Medicinalibus; quibus præter ália cordi inprimis humano confortando appropriatur, quæ tamen non cuilibet obviæ, nisi circumspecto rerum æstimatori, occurrunt.

Sanè aurum esse pulcerrimum visu, tenuissimum dilatatu, ponderosissimum tactu, rarissimum inventu, immunissimum à corruptione, & quod nullis elementorum injuriis consumi possit: imò id perpetuam, in mundi scena personam agere & agere, quis est qui non fatetur? Verum id intrinsecus quoque habere abditam & reconditam vim maximè Medicinalem pauci quos æquus amavit Juppiter cognoverunt & experti sunt.

Maxima pars modernorum Medicorum quibusdam saltem exceptis, qui præ aliis sui ordinis doctiores videri & haberi volunt, auro vim attribuit Medicinalem & virium præsertim vitalium reparandarum efficacissimam: hinc adeò commendantur compositiones illæ corroborantes, quibus præter alia aurum ingreditur in foliola aut ramenta citra ullam

aliam præparationem redactum. Hos omnes ut in eos quod crediderint auro inesse materiam in qua optimum medicamentū tanquam nucleus in sua testa conclusum delitescat, conveniens uni, eidemq; præcipuo nostri corporis visceri, per rationem & experientiam convicti, condignis meritò prosequor laudibus: Sic eorundem simplicitatem demiror & condoleo, quod auro tam crasso & crudo modo parato uti, & vim illam medicinalem hoc modo corpori communicare voluerint.

Sanè Erastus vir alioquin doctissimus & Medicus Dogmaticus exercitatissimus, præ reliquis multis usum auri in Medicina adlatrare, & exemplo medico exterminare, cum reliquis medicamentis ex mineralium familia petitis, solo in Paracelsum stimulo livoris & studio eidem contradicendi ausus fuit: hunc postmodum insecuti sunt Riolanus Aubertus, & universa modernorum Misochymicorum cohors; qui antedictorū umbræ sunt, nunc fere omnes. Hę statim frontem caperando, Rhinocerotem fingendo, & ciconiæ instar crepando obstrepunt & impudenter vociferantur, absurdum esse auro tot & tantas adscribere virtutes Medicinales: imò pertinaciter contendunt, Auro penitus nullam inesse vim medicamentosam; usum potius illius noxium esse damnosum venenatumque.

Licet

Licet autem experientia umbras hasce satis superq; hactenus, refutaverit, ut propterea minimè opus esse videatur pluribus easdem sese quis opponat: veruntamen cum ex iisdem sint umbræ nonnullæ, quæ sibi plurimũ placent in eo, quod Auri vires medicinales impugnaverint, lubet hasce aggredi & umbratiles ratiunculas atq; argumenta, quantum fert instituti ratio dissipare. Hæ ergò Auri usum & vim Medicinalem hoc sermone quasi explodere nitũtur; Quis credat Aurum seu pulveratum seu foliatum, & lapides preciosos tantarum esse virium, ut devorata reficiendis cordis viribus & facultati vitali roborandæ conferant, qui in physicorum scholis rectè institutus didicit quod illa nunquam vixerint, ac proinde vitalitatis radicali principio [quale quidem & vis vitalis tacita latet in iis solum quæ vixerunt, & superstes remanet, etiam post abitum animæ, à calore autem nostro suscitanda & in actum proferenda, si corpus nostrum mutare ac afficere debeat, atque illius etiam principii causa, quæ vixerunt naturæ corporis nostri familiaria sunt & amica substantiæ simul & qualitatis symbolo ei communicantia] careant prorsus.

Huic ut veritatis asserendæ gratia æquissimum opponatur responsum, ante omnia coram quibusvis protestatum venio, me pa-

riter non credere, ullum ex Auro eo, ut dicit, modo craſſo videlicet, dum in pulverem redigitur vel in foliola deducitur, in corpus humanum redundare emolumentum: imò me quoq; hujuſcemodi uſum uſum auri tanquam plane inutilem rejicere & repudiare.

Verum cum præter hunc abuſum genuinum quoque uſum cavillentur & contemnant, non jam ſunt audiendæ amplius, nec cum iis faciendum, ſed confutandæ, & rationes allatæ examinandæ, ne Miſochymicorum errores erraſſe & veritatem ſuis ratiunculis & cavillis fruſtra oppugnaſſe videantur.

Auro ut citra ambages rem ſtatim aggrediar, vires ineſſe medicinales, & inter ſummè corroborantia aurum primas obtinere ex ante dictis haud difficile eſt colligere: Eas auro hæ denegant umbræ hac ratione, cum dicunt, Aurum carere vitalitatis principio radicali prorſus, propterea quod nunquam vixerit.

Sanè quod omnem actionem & vim adſcribant principio vitalitatis radicali, nil abſurdi ſtatuit; quandoquidem jure meritò eidem omnium actionum vis & energia attribuitur: quod autem tali principio & ſic vita quoque deſtitui Aurum afferant, abſurdiſſimum eſt & falſiſſimum. Ergò cum ipſis hæc abſurda ſtatuentibus nemo tam facile fidem adhibebit; ut fidem ſuis faciant, ſequentibus probare aggredi-

gredimur dicentes, in ſcholis Phyſicorum id doceri. Doceri id quidem in ſcholis Peripateticorum notum; ſed hæc, licet abiis ita doceantur, propterea vera eſſe minimè conceduntur: cum Peripateticos, ut nunc ſunt, veros Phyſicos eſſe, adhuc ſub judice lis ſit: Et ex falſis præſuppoſitis atque principiis plurimos falſa plurima ſibi imaginari poſſunt.

Scholam naturæ frequentare & ex lumine naturæ per lumen & numen gratiæ res & rerum naturas atq; virtutes addiſcere ipſos deceret, non verò ad ſomnia & imaginationes phantaſticas hujus vel illius Philoſophaſtri contorquere.

Audiant haut gravatim quid Chymiater doctiſſimus Joh. Hartmannus de ſcolis Phyſicorum vulgarium, quibus Ephebum, ut in naturæ conſultum medicum evadat, minimè concredendum eſſe ſuadet, loquatur.

At verò, inquit, quis in ſcholis phyſicis modus? Quæ norma, quæ denique temperies clavum tenet in rebus phyſicis dextrè & ceu in natura ſunt explicandis? Si quis enim animo in ſupremam mundi regionem evectus cœlum & terras omniaque in eis comprehenſa penitus perſpiciat, ad Ariſtoteles Peripateticorum principis Acroaſin converſus, in octo libris Phyſicis vix ac ne vix quidem totidem verſus veritatis phyſicæ, ſed Logica Sophiſmate de

caufis & principiis primo & fecundo libro, de effectu caufarum tertio & quinto, de fubjecto loco, adjunctoque tempore quarto & tertii parte, fextoq; toto infinitatis, totifque itidem feptimo & octavo æternitatis monftra potius quam myfteria perfpiciet, non folum à liberali difciplina Phyfica prorfus aliena, fed pietati etiam ac religioni valde adverfantia.

An vero hæc omnia hodiè in fcholis Phyficis Academiarum non agitantur? An non magnis fpiritibus quotidie pulpita iifdem perfonant; non meliore philofophia pertractatis cæteris, quæ de materia prima, de Elementis eorumque qualitatibus primis & fecundis, de generatione & interitu rerum proponuntur; de iis quæ in fublimi fiunt, quævé univerfo complexu totius terræ ambitus continentur? Et tamē his commentis fub alternari noftram Medicinam ejufque vera fundamenta ex iifdem probè hauriri ad ravim ufque vociferantur.

Profectò ejufmodi affertores non abfimiles mihi videntur nitedulis in vepretis delitefcentibus, mediaq; æftate incertum ac malignum fulgorem emittentibus: In præconceptis enim opinionibus de rebus phyficis, quafi Cœlites inter cæcos foli regnant, & effulgent; res autem arduas & ex media luce petendas, ceu noctuæ Lumen Solis vitant & effugiunt, aliâ

excu-

excusatione in publico non conspicui, quàm quodà placitis in scholas introductis discessionem facere sit nefas.

Hæc ille; qui in subsequentibus, quæ schola sit frequentanda illi, qui naturas rerũ ut in natura sunt earumq; vires & virtutes indagare & cognoscere haut eleganti sermone prosequitur. Ex quib. facilè constare potest, Lucem naturæ, & non Academias veram esse & legitimã physicorum scholam: in qua veri physici naturæ Harmoniam indefesso studio rimantur & contemplantur inq; omnes totius œconomiæ mundanæ partes, majorem simul & minorem mundũ complectentis sese proripiunt. Ethnici physici pleriq; lumine gratię destituti simplicis naturę lumen prę speculationũ nimiis argutiis cum superciliosè nimis sint aspernati, factũ est, ut hinc universa clades, quę densis hactenus errorum tenebris naturalium rerũ scientiam obscuravit fædeq; inquinavit, tanquã ex fonte vel maximè in scholas & Academias derivari, quibuslibet Christianis philosophis semper visa fuerit. Dementię itaq; proximũ haut abs re est, clarissimæ indubitatæ veritatis lãpadi gratiosè affulgẽti, Ægyptias tenebras, & perfectę immotæq; scientię incõprehensam & sine nervis huc atq; illuc fluctuantẽ opinionũ cõfusionẽ anteponere, aut quorũlibet fucatis cõmentis quasimodo nascẽtes aut alienę libidini mancipiũ temerè

merè ac serviliter obhæsitare. Nos hoc ultimo seculo, quibus Gratiæ Lumen affulsit, & veritas S. S. scripturæ adluxit, non nisi sobriè, Christiane, rerumque ipsarum essentiali veritati conformiter Philosophari decet, & simpliciter vel pauculas sententias è libro scripturæ juxta ac naturæ depromtas unicæque veritatis luce radiantes, ingeniosissimis ut videri volunt, glossariorum mortuariorum magis longissimè anteferre.

Quid ergò mirum, ut ad negocium unde digressus sum, data occasione de vera physicorum schola obiter nonnihil dicendi, revertar, quid mirum, inquam, si hæ umbræ Misochymicæ non credant, Aurum vitalitatis principio radicali carere prorsus & propterea nunquam vixisse, & hinc vires medicinales auro inesse nullas absq; firmâ ratione obganniant? Equidem vos planè ignorare, quid revera sit illud radicale vitæ principium, non abs re conjicere quis posset, cum id creaturæ huic terrestri post hominem nobilissimæ adesse & inesse denegetis; quo etiam non destitui [præter vilissimas omnes alias creaturas, in quibus non obstante, quod vilissimæ habeantur & minimæ etiam, Deos adesse cũ Heraclito, & quamlibet herbam præsentem Deum referre, cum Poëta Christiano, Christiani asserunt philosophi; nec vos abnuere credo] ipsa excrementa

Peri-

Peripateticorum princeps Ariſtoteles veriſſimè adfirmat l. 2. de gener. anim. c. 3. circa finem cum ait, at vero ſolis calor animaliumque non modo, qui in ſemine continetur, verum etiam ſi quid excrementi ſit, quanquam diverſum à natura, tamen id quoque principium habet vitale. Ne autem candidum Lectorem verborum ambagibus detineam, in negotio vitam Auri concernente, æquis auribus audiant, quæ ſagaciſſimus Petrus Severinus Danus, referat c. 2. Ideæ Medicinæ Philoſophicæ.

Hic vir eruditiſſimus cum probaſſet in ſingulis rerum ordinibus, quæ Elementorum ſinu foventur, contineri naturam quandam radicalem, vitæ principium, actionum fontem, fœcunditatis authorem, generationum tranſplantionum omniumque naturalium actionum moderatricem: atque in ſpecie in vegetabilibus & animalibus eandem eſſe & vigere aſſeruiſſet, de mineralibus tandem idem planè ſtatuit.

Ejus verba ob elegantiam huc transſcribere lubet, & Miſochymicis conſideranda & ruminanda proponere; ſic autem ſcribit. Mineralium quoque claſſes validiſſimum obtinent Balſamum; [ſic vocat illud principium vitæ radicale.] Solidam enim & homogeneam propemodum materiam occupavit, nec ſenſui nec

motui

motui in his fervire debuit. Itaq; perfecta quędam individua hîc absoluit, quæ copia & puritate Balsami munita, non annorum longa serie senectutis incommoda admittunt, nec ullis externis injuriis labefactantur.

Vivunt quoq; [notate hoc, & notate benè Misochymicæ umbræ] quamvis corporum compedibus implicata vitales actiones depromere non possint; si nihilominus in actum reducantur, mira actionũ virtute vitales qualitates demonstrant, usq; adeò ut vitalium qualitatum differentias ex quibus actiones omnes, proficiscuntur, ad horum ordines reduxerit Paracelsus, nominaq; plurimarum rerum inde desumserit. Diversa quidem proprietate insignitum semen obtinuerunt; individuorum enim propagatione non multiplicantur: altioribus parentibus ortus sui principia adscribunt, qui natorum mobilem Rempub. non ingrediuntur; quò fit ut à plurimis vitâ penitus carere existimẽtur. At certè arrigite aures umbræ auri medici contemtrices, vitæ manifesta indicia illis sępè demonstrarunt, qui illorum officinas diligentius sunt scrutati. Crescunt enim, maturitatis tempora habent, nutriuntur, excrementa pariunt, quæ potentib. paroxysmis sæpè rejiciunt magno metallicorum pavore, alia paulatim in superficie relinquunt. Et quid verbis opus est, quæcunq; saporum & odorum valida facul-

facultate prędita sunt, ea quis mortua pronunciabit? Vitarum discrimina sunt, & gradus ut & Balsami hujus vitalis; nec omnia manifestè vivunt.

Quod si philosophis credimus, quę manifesta vita fruuntur, ex iis componi videbimus, quæ occultè quondam vixerunt. Hæc ille: cui si fidem adhibere quis nolit aut assentiri recuset, is adeat puteos cuniculos fodinasq; metallorum & metallarios super hæc interroget, illi ad oculum vobis demonstrabunt verissima esse, quæ de vita metallorum & auri quoq; hactenus sunt relata.

Post fornacem certè inter cartaceos authores, & in pulpitis hæc nunquam, licet profundissimè quis specularetur, inveniet & addiscet. Miror sanè, quod cuivis auro & gemmis omnibus ad curandã febrim malignam præferatur à Misochymicis spiritus Vitrioli, cum Vitriolum, ex quo per artem spagyricam hic spiritus prolicitur æquè sit ex numero mineralium, sub quorum familia aurum quoq; continetur; & eadem ratione eidem Vitriolo radicale vitæ principium denegari possit.

Quod si Vitriolo concedatur vitæ principium radicale; cõceditur autem, dum eidem spiritui Vitrioli tantæ attribuuntur vires, ut illam etiam quantivis precii antidotis præstantiorem & preciosiorẽ effirment affirment; Vitriolum

lum autem sit minerale planè imperfectum, videntur ineptè & citra omnem rationem id Misochymici detrahere & denegare Auro mineralium & metallorum perfectissimo.

Spiritui Vitrioli suas lubens elargior vires, de quibus etiam infra; sed eidem præstantiores & majores inesse virtutes Medicinales quã Auro, neminem unquam, præter hos Misochymicos asserentem hactenus mihi licuit offendere; nisi forte illi nominentur, qui mineralibus & metallis extremam minitati sunt ruinam: quæ tamen invicta manebunt, & viribus suis penè divinis brevi triumphabunt, rumpantur etiam non ilia duntaxat, sed & capita asinina Misochymicorum.

At objicitis aurum quia nunquam vixit, & ob id vitalitatis principio radicali destitutum est, naturæ corporis nostri non est familiare & amicum. Hoc quidem unum est ex palmariis, quod contra usum salutarem remediorum Chymicorum solent objicere Misochymici & quo Chymiatros se posse prosternere sibi imaginantur. Sed falluntur cum enim falsa sit ratio prior, quod videlicet aurum nunquam vixerit & vitalitatis principio radicali careat, per se etiam corruit & falsa deprehenditur altera, quam addunt, ratio, aurum nempe naturæ nostræ non esse familiare & amicum.

Imò ob hanc ultimam rationem ipsi Misochymi-

chymici propria rejicere deberent remedia, quandoquidem ea nulla cum corpore humano obtinent similitudinem, nec ullam habere debent; sunt enim antipathica, juxta mentem saniorum Dogmaticorum.

Id circo de fusiore hujus refutatione nunc non sum solicitus, cum de ea sat, dixerint & scripserint Chymiatriæ & Chymicorum remediorum propugnatores: inter quos virum se præstitit doctissimus Rulandus, qui videatur; præsertim cum mei non sit instituti omnia Misochymicorum contra Chymica remedia argumenta in specie hîc consarcinare & confutare.

Ad Aurum ergo reversus dico, virtutum in Auro medicinalium hujuscemodi cõtemptores veniam, quodammodo promereri posse, si intra terminos sese continerent, & aurum foliatum, vel pulveratum exhibitum nullas edere vires solummodò statuerent: nam in hoc cum Chymiatris rectè sentirent, qui aurum crasso illo modo exhibitum nil prodesse, imò obesse potius constanter adseverant; ut quod sive in puluisculum, citra ullam aliam pręparationem legitimam redactum, sive foliatum aut laminatum perinde per familiarem sellam ejiciatur nihil mutatum, sicut in ventrem cessit, devoratum; suo enim adhuc corpore & carcere detentum fuit propinatum.

Quia verò etiam per Chymicam præparationem in formam potabilem redactum, aurum quoq; omni privatum virtute medicinali volunt, dicentes; nec vero potabile aurum & gemmarum dicta Magisteria majoris sunt virtutis: jam non amplius illis est condonandum, cum contra manifestissimam veritatem, quam experientia stultorum etiam Magistra sæpissime comprobavit, nugentur.

Aurum ergò potabile, per vos Misochymicos, nullas habet vires medicinales; quare? Quia quod natura illi denegavit, ars quantavis non potest, dare. Citra ambages, quod dicitis, simpliciter non est verum. A natura enim vires Medicinales auro denegatas dum dicitis, falsissimum dicitis, cum certum sit Auro maximas eas inesse, & id illas habere non aliunde quàm à natura: nec eas illi dare ars Chymica præsumit; ut autem eas exerere possit, artis Chymicæ adminiculo carere nullo modo potest.

Quocirca ars Chymica, licet internas & naturales vires auro dare nequeat, dat tamen promtitudinem seu habilitatem, ut sic loquar, per quam aurum vires suas expeditius, commodius & felicius exerere potest; removendo videlicet impedimenta, solvendo vincula corporea, & corticem putaminaque dura detrahendo. Sanè, ut dicam quod res est, videmini

mihi

mihi ii esse, quibus natura veram auri cognitionem denegavit, quam ob id schola physicorum vestrorum vobis dabit nunquam. Loquimini de auro potabili id contemnendo, cujus tamen videndi saltem copiam vobis nunquam factam, vosq; multò minus ejus usum expertos esse, & modum id præparandi verè spagyricum penitus ignorare, ex hac vestra censura plusquam inepta & iniqua conjectant Chymiatri. Hoc sciatis velim umbratilem illam, vestram, aliorumq; ejusdem farinæ in pulpitis speculationem experientiæ nihil præjudicare: non enim à speculantium Phantasia sed à rebus ipsis rei alicujus veritas est petenda, ut rectè docet Aristoteles in Metaphysicis.

Nullum ergò omninò damnum patitur aurum & potabile verum aurum, à vestris paucis deliriis, quæ ipsi vobiscum suaviter domi somniastis. Quin potius vobis jure omni id, quod olim Erasto, strenuo illi & primo ferè auri & Chymicorum remediorum osori & contemtori[cujus nunc umbræ sunt ferè Misochymici omnes] objiciebat clarissimus Monavius medicus Cæsareus, in barbā quoq; projici posset: *quomodo potes*, inquit, artem refellere, quam nō exercueris? Non versatus es ἐν τῇ ἐγχειρήσει τῇ χυμικῇ, quæ arcana multa prodit. An non sutor ultra crepidam judicare præsumens, ab Apelle colaphis meritò excipiebatur?

Et quis cœco de coloribus judicium ferenti fidem adhibere vellet? sed quandoque Phormio præsente Hannibale de rebus ad militiam spectantibus verba facit meritò, ridendus ab Hannibale tanquam delirus, qui rerum, de quibus pomposè verba fecerit, usu penitus careat.

Ne autem aurum penitus contemsisse videamini &, neglexisse, fatemini, habere quoque suas vires aurum [gemmas quas adjungitis hîc non attingo, habent & invenient etiam hæ suos defensores] ad ornatum scilicet ac opulentiam, si quidem integrum gestetur collo appensum: inprimis, cum aurum sit anima generis humani, quippe cujus præsentia vivimus, inopia morimur; Enimvero privatus auro est corpus sine anima.

Hæc vera quidem sunt, sed non ideò principali intentione aurum esse creatum vobis oppono, ut hominibus ad ornatum & opulentiam inserviret: abusus is potius dicendus est, quam verus & genuinus auri usus. Sanè aurum omnes æquè appetere, & multos nonnũquam immodica ejus bulimia laborare, adeò vehementer, ut in eo conquerendo & possidendo per fas & nefas, propriæ salutis patiantur jacturam, nemo facilè ibit inficias. Verum Politicus hic est usus, cujus respectu aurum ex fragilibus & caducis bonis, in suis quidem parti-

bus

bus firmius & constantius, quod amissionem verò ejus possessionis cæteris par est, & inter fortunæ dores, quæ adesse vel abesse possunt, numerandum, animique bonis longè fragilius.

In hoc usu, qui duntaxat pedem figunt & auro præstantiores inesse vires concedere nolunt, hi profectò ingrati sunt erga Deum creatorem, & injurii in creaturam ipsam, omnium post hominem facilè primam & præcipuam.

Ingrati sunt erga, Deum imò sacrilegi, dum nolentes agnoscere & concedere eundem auro indidisse vires summè medicinales, ipsum creatorem ob id beneficii laudibus dignis defraudare connituntur. Nonnè injurii pariter sunt, imò blasphemi in eundem, cum, si juxta illos præter politicum hunce usum & externas illas dotes atque utilitates auro inesset nil amplius magis necessarium & præstantius, videretur Deus hoc modo ludere cum genere humano, cum splendida in colore, virtute autem inania ac frivola communicasset & præscripsisset, ac suppeditasset æstimanda? Injuriam quoque inferunt ipsimet creaturæ, dum eam ad salutares usus à creatore destinatam, irritamentum potius faciunt malorum, quæ non solum habendi sui desiderium, quia ullius alius usus esse concedere nolunt duntaxat relinquat verum etiam ut habeatur, ad mores ple-

rumq; perversos incendat, ut non abs re dixiſſe videatur Poëta;

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Datum itaque aurum hoc modo videretur in damnum potius hominum veluti Pandoram quandam, ſi ſolummodò, uti dictum, politicè ejus uſus attenderetur, ne quod ea ratione multorum cauſa malorum facile eſſe poſſet.

Pudeat profectò tantos phyſicos & Medicos in hiſce externis rerum corticibus hæſiſſe hactenus & etiamnum hærere: cum hoc modo à rudi & omnium rerum naturalium veri & genui uſus ignara fece vulgi parum aut nihil amplius & altius ſapere velle videantur.

Decebat eos Aurum non politicè, ſed Phyſicè & Medicè conſiderare, inq; hominum utilitatem transferre, ſanitatem eorum eo ipſo promovendo. Phyſicè quidem quatenus eſt corpus naturale mixtum ex quatuor Elementis, ex terreſtribus maximè ſolidum & incorruptibile, non quidem ſimpliciter, ſed ſecundum quid; eſt quatenus eſt revera ſcrinium immenſarum virtutum; quæ cum eam ob cauſam ita concluſæ ſint & abſconditæ, adeoque communitæ à natura, ne videlicet indigni & ignavi contemtores ad dotes in auro reconditas perveniant, Medicè eaſdem cortice & duro illo putamine detracto per artem ſpagyricam,

cam eruere, inque hominum salutarem usum transferre oportebat.

Quod nisi fecerint nunquam sperent, se in auri & aliarum rerum naturalium cognitionem veram, veris Philosophis & Medicis dignam penetraturos, sed semper in exteriorib. rerum corticibus hærentes Johannes in eodē, ut est in proverbio, permansuros: quibus propterea, sicuti suibus Amaracinum internecinum est, oletum vero gratissimum, ita suo se oblectare ingenio ac suavibus domi somniis magistralibus sibiipsis applaudere per me licet.

Unum addo, omnes remediorum ex mineralium familia petitorum ac inprimis auri osores & contemtores, hoc ipso suo odio indicare, se in iisdem & præsertim in auro nil præter externum corticem & putamen ob mentis impotentiam cognoscere potuisse. An verò quod non cognitis nec expertis tam impudenter contradicant, ob id quod virorum est bonorum, faciant, judicent omnes boni, æqui & non suspecti rerum censores.

Multa profectò sunt & esse possunt, quæ nec Erastus nec Iliolanus nec alii Misochymici omnes esse credunt; at propterea eorundem omnium incredulitate non expugnantur, ut ob id esse desinant.

Sufficit Classicos Medicinæ Dogma-

ticæ authores, auri usum in medicina nunquam neglexisse, nec adhuc negligere celebres Galenici; quo ipso indicant se credidisse & adhuc credere auro inesse peculiares corroborandi virtutes medicinales: nisi enim vel ratione docti vel experientia convicti, auro vires medicinales inesse judicassent, & hodie quoq; judicarent, non illud in tot compositiones, [quarum plurimas præter usitatas in dispensatoriis recenset Nicol. Myrepf. variarum antidotorum corroborandis viribus idonearum & efficacissimarum ad abigendos & curandos gravissimos quosvis morbos, hinc inde consarcinator & raplodus] immiscuissent, etiam in corpulentia & clausurâ sua, nisi vel hoc modo divitibus imponere, aut pauperes pecuniis fortè emungere voluissent, quod neutiquam est credibile, imò nefas planè de tantæ authoritatis viris id præsupponere & statuere velle.

Verum ne me diutius quam par est, cum umbris hisce Misochymicis dimicando detineam, receptui cano, cum ex hactenus allatis nemini non constare arbitror, umbratilibus earum ratiunculis pro tempore & instituto sufficienter responsum esse.

Ad ipsas ergò vires medicinales in auro reconditas & latentes eruendas recta nunc progredior; sed ecce Menippus aliam protrudit umbram Misochymicam, quæ contra auri vires

res Medicinales sic obstrepit. Dioscorides sagacissimus materiæ medicamentariæ indagator & classicus scriptor auri nullam planè facit mentionem; inde colligit umbra, eundem nullam auro inesse virtutem medicinalem credidisse. Itane putas umbra Misochymica te auri vires medicinales oppugnare posse? Non ita; nihil efficis plumbeum & obtusum planè est telum, nihil ferit aut pungit.

Licet enim Dioscorides, quem aliâs singula vegetabilia & ex terris effossa, nec non alia etiam minima ad humanum medicinam usurpanda diligentissimè pertractasse non inficior; licet, inquam, ille nullam auri ejusvè virtutum medicinalium mentionem fecerit, quis tamen adeò rudis est, & mentis inops, qui ob id statuere velit, aurum nil virium medicinalium habere? Aurum quidem Dioscoridem & alios ex priscis illis Medicis cognovisse, quoad usum externum & politicum quis dubitat? At quoad physicum & internum, non videtur verisimile. Excusari autem eos posse arbitror, cur nihil tradiderint de auri corpulenti adeo cari remediis: qui veriti fortè sunt, ne vanitatis & damni cujusdam coarguerentur, si effectus non semper responderit experimento.

Quanquam vero similius videatur, eosdem medicinales auri vires aut plane non cognovisse, aut propter ignorantiam artificis, quo

eas latentes & tam duro cortice clausas eruere deberent & possent penitus neglexisse.

Posito autem quod Dioscorides Galenus & alii plane non cognovissent aurum, & vires etiam sibi ignotas penitus neglexissent, quis propterea concedet aurum non esse, vel non habere vires medicinales? Moderni rem accuratius paulo perscrutati deprehenderunt in auro tanquam creatura nobilissima latere & esse vires Medicinales, quas experientia postmodum comprobavit.

Inesse ergò auro vires Medicinales, cum ratio & experientia duo illa optima medicinæ criteria præter tot in arte Medica virorum summorum authoritates, convincant an adhuc umbra Misochymica non concedes; auro inesse vim Medicinalem? Hem! quid ais? Audi rationem & responde: nonnè à summis Medicinæ principibus quævis tam vegetabilia quam animalia & mineralia, auro etiam longè imperfectiora & viliora, impuriora & crudiora, in usum medicum adhibita sunt & approbatæ etiam minima, abjectissima & sordidissima? Negare non potes.

Quare ergo solum Aurum à Deo aut natura neglectum foret, aut minus dotatum; ut minus posset aut deberet pro Medicina usurpari? Hac vix disparēte, subitò alia comparet, in qua Menippus multū habet fiducię: Ea trux & horren-

da aspectu, clavam, ac si Hercules esset, vibrat in qua hæc verba leguntur; In medicum usum non admittatur Aurum, quia à calore humano non potest digeri. Cavete nunc vobis Chymiatri, cavete vobis dico, ne vos umbra hæc Misochymica clava sua conficiat. Sed nullus est metus, periculum nullum: umbra est, & clava umbratilis; faciam itaq; ut hæc statim dispareat cum objecero Clypeum cui inscriptum sit; Aurum pro usu in Medicina, non debet à calore humano digeri. Nec hoc absq; fundamento; nam si digereretur esset non tam medicamentum quã alimentum: controversia autem hoc loco non est, de Auro, an fieri possit alimentũ, ita ut devorari aut potari debeat eum in finẽ, ut in succum alimentalem & sanguinem transeat, quemadmodum cibi, olera, carnes, vinum & hujusmodi: sed potius an aurum sit & fieri possit medicamentum; seu quæstio est de viribus auri medicinalibus non alimentalibus.

Verum audi, si hæc ratio tantæ est efficaciæ, ut auro omnes detrahat vires medicinales, qui quæso probabis, quod supra etiam tactum, usitata omnia esse medicamenta, cum & hæc à calore humano nunquam digeruntur? An ignoras, quæ digerantur à calore nostro, ea solummodo alimenti vicem obtinere, esseque duntaxat alimenta, vel saltem alimenta Medicamentosa,

non

non autem medicamenta, ut quæ à calore nostro non vincantur, sed quæ naturam nostram immutare & quocunque modo licet, evincere possunt, minus vero assimilari ut alimenta? Hinc infero; licet aurum in ventriculo non digeratur ut alimentum, nil tamē obstat, quin aurum sit & evadat medicamentum cordi, Spirituum vitalium officinæ apprimè conveniens, cum sit inter cor & aurum mirabilis quædam συμπάθεια & correspondentia.

At umbras hujuscemodi delicatulas plerunque esse, quæ nec manus nec mentes, studiis, curis & laboribus multum fatigare soleant, quis ignorat?

Quid ergò mirum, si teneræ ob id sint concoctionis? Ne itaque aurum crudum & indigestibile devorent, quod tamen avide & diducto ore inhiant, inprimis sibi caveant: periculum enim est, ne in obstructiones ab auro factas, morbum priori deteriorem incidant. Hoc salutari consilio accepto, & hæc truculentior sine damno illato disparuit; quam unà cum reliquis ad orcum, unde eas produxit revehere sese accingit: Sed parumper expectet Menippus & moram nectat per exiguam, donec aliæ quoque, quid velint, dixerint, ut & eas secum unâ operâ abducat.

Hæ plenis faucibus impudenter eructant aurum summè esse noxium, quia venenatum: Verum

Verum ne diu detineatur Menippus, regero, hos omnes crassum dicere mendacium: Aurum enim ut Aurum minimè est venenatum; & experimento constat, ex auro Medicinas contra venena suppetias potentissimè ferentes parari, esseque aurum Alexipharmacum unicum & præcipuum cordiale, à Deo, ut loquitur exercitatissimus Chymiater Maierus, datum, à natura productum & à cœlesti sole inspiratum.

Et posito, at non concesso, auro adjunctam esse venenosam aliquam qualitatem; nonnè autem ea tam accurata præparatione, quæ in parandis ex Auro Medicinis à Spagyris genuinis adhibetur, tolli potest & adimi? Negantes hoc umbræ, & inepti alii Critici ac censores contrarium probent, & manifestam redarguant experientiam necessum habent. At quid bonas horas in res magis necessarias impendendas pugnando cum umbris Misochymicis consumo? Fateor utilius eas impendi posse; sed veniam me promereri apud candidos Lectores confido, quod alacri animo contra oblatrantes umbras Misochymicas pugnando tot paginas consumserim: Auri dignitas, in usu Medico necessitas & utilitas imò veritas ipsa ad id me coëgerunt.

Nunc ergò omnibus & singulis hisce umbris Misochymicis ad orcum cum suo Menippo, vel ad

ad Utopienses male feriatos, ubi caninam suam exerceant facundiam quandiu velint, relegatis ad vires auri præcellentissimas, nec nō ad præparationes Chymicas medicamentorū ex auro me converto, non minus lætabundus, jocunda illa & libero homine dignissima speculatione, & operatione generi humano utilissima, quā servi illi avaritiæ & luxuriæ, qui ideò aurum in oculis & mente gestant, necnon in loculis & arca habere gestiunt, quod quantū ejus habeant, tantum apud alios authoritatis, juris, gratię, favoris obsequii, eruditionis & existimationis consequantur; licet revera sint, ut Stratonicus de quodam ait, nulli, mali, magni, pisces; seu ut uno verbo eloquar, umbræ.

Vires itaq; auri quod attinet eas in auro recōditas esse & latere experti sunt viri in utraq; Medicina pręcellentissimi, quorū authoritates pluris meritò facio, quā omnes Misochymicorum futiles & inanes ratiunculas. Verū omnes omniū authoritates & experientias huc adducere superfluū esset, imò tędiosum nec alicujus emolumenti: sufficit omnes uno ore fateri, Aurum ex cordialib. corroborātib. summū esse & primū atq; præcipuū. Inter Dogmaticos & eos qui priscos Græcos sequuntur, licet non inveniantur principes ejus sectæ aliquā auri ad usū Medicam fecisse mentionē: moderni tamen & si non vulgaris eruditionis & experientiæ ab

ejus

ejus usu non abstinuerunt; imò tantam eidem vim Analepticam tribuerunt ut ad auri vel laminas, vel bracteolas, vel scobem, vel limaturam, aut pulverem, tanquam ad sacram anchoram confugerint in casib. maximè desperatis; quemadmodum in consiliis eorum & practicis libris nemini non conspicuum esse poterit.

Avicenna Arabum princeps, auri & ejus virtutum meminit expressè, quas tales esse, quæ Hyacinthi vires æquent, scribit: hinc habere ait proprietatem lætificandi cor & corroborandi, fortiterque obviandi veneno, conferre quin etiam doloribus cordis, tremore ipsius, & malitiæ animæ, & ei qui solus loquitur.

Atque in hoc eidem consentiunt, & eum sequuntur omnes ferè moderni Medici, viri haut ineruditi, præter paucos quosdam, qui, ut sapere quid præ aliis videantur, nescio quæ contra usum auri, quod veneranda antiquitas in Medicina maximi semper fecit, effutire ausi fuerunt. Sed horum tanta non est authoritas, quæ venerandæ antiquitatis existimationem ullo modo labefactare obscurareve possit, aut ipsã experientiam refellere, & rerum naturas destruere: habent hi in quo se exerceant, & si quid possunt cõtra auri usũ in mediũ afferant alia, & quidẽ solidiora, quã sunt & fuerũt umbratilia illa, quę paulò ante adducta fuere, & quantũ instituti ratio permisit, dissipata. Quos parũ mo-

rors

ror; magis credendum arbitror viris doctrina & artis operibus conspicuis & celeribus, quam huic vel illi obscuro Medicastro, nisi forsan qui aurum aliavè metallica remedia calumniando celebris fieri velle videatur, quasi is sit qui Dianæ templum incenderit.

Ad rem; si auro corpulento, quod tamen, si quod res est, dicere debeam, ob arctissimam compagem speratam vim & efficaciam exerere non potest, in confortandis spiritibus vitalibus cordis & consequenter corporis universi, tantas adscribat vires veneranda antiquitas, quid putatis Misochymici dicendum de auro per artificium Chymicum à compedibus corporum liberato, activo formali ac spirituali reddito?

Id opinor, nisi planè malevoli estis; tanto majores id ac præstantiores edere vires; hoc est, tanto magis spiritus cum quibus ob sympathiam ethomogeneitatem facillimè coëunt, augeræ refocillare, quantò aurum per artificium Chymicum redditum fuerit spiritualius.

Præter dogmaticos si de viribus cordialibus & aliis in auro latentibus, Hermeticorū quoque, ad quos proprie & jure hoc negocium spectat, authoritates continuata serie omnes recensere vellem, negocium nimis prolixum & fortè tædiosum susciperem: illud ut evitetur

tur solius ParacelsiHermeticorum facile principis contentus ero enunciatis. Is passim de auro plura eaque maxima & summè admiranda in usu Medico deprædicat, diversa illa pro diversitate preparationum, quarum etiam plurimas & eas artificiosissimas passim scriptis suis inseruit & quandoque more philosophis Spagyricis consueto sermonis obscuritate involuit.

In genere asserit summus ille Mysteriarcha, in auro tam mirabiles esse operationes, ut superior gradus naturam corroborandi reperiri nequeat: imò dicit omnes morbos curari debere auro, qui sunt in summo gradu. Adhæc ad confortandum cor, ut à nullo symptomate lædatur, & eidem cordi nil decedat, summum esse arcanum affirmat l. de virib. memb. Interior: c. 1. de virib. cordis. Nec absque ratione attribuunt Philosophi Hermetici Auro vires cordiales; quandoquidem apud ipsos certum ratumque sit Aurum cum corde humano maximam habere concordantiam & harmoniam.

Quemadmodum enim ut loquitur peritissimus Crollius, Aurum cum sole cœlesti singularem habet concordantiam; ita etiam cum corde humano maximam, possidet affinitatem & harmoniam formâ suâ interna: quod namque Sol in cœlo est, in animali cor, in vegetabili-

bilibus vinum, id inter mineralia est Aurum. Et propter hanc Harmoniam indeque resultantem vimMedicinalem cordi appropriatam & dicatam, Cor aurum tanquam magnes ferrum, præ aliis mundi bonis appetere videtur. Sed ad Mysteriarcham revertor; is aurum insuper commendat ad tollendam paralysin, synthenam, febres, tremorem cordis, dolorem matris, Ethicam, peripneumoniam & acutos morbos l. 1. de præpar. tr. 5. Idem l. 1. de morb. miner. cap. 4. asserit, Aurum esse medicamentum & remedium omnium morborum ex minera sua prodeuntium. Easdem quin etiam vires omnes moderni Chymiatri auro inesse concedunt & suo comprobant calculo, quibus etiam postmodum suffragatur experientia.

An autem corde per aurum corroborato, exinde vis ejusdem ad cætera quoq; membra, in quibus sæpissimè tanquam partibus male affectis causa morbi & morb. ipse delitescit, transmittatur & communicetur sicq; morbus unà tollatur & abigatur, cum quęrere soleant nonnulli, lubet hoc loco ejus quæstionis brevem subnectere solutionem.

Non absurdum statui videtur, vires auri corde per id corroborato ad alias quoq; partes transmitti & in eis per eas morbus si quis adest, tolli & abigi. Si enim Galeno integrum

fuerit,

fuerit, & ipse cum ratione egisse videatur, dum cuidam manus resolutione laboranti non ipsi manui quod reliqui medici faciebant, & ob id à Galeno ridebantur, sed spinæ cervicis topica applicaverit medicamenta: Cur eodem ex capite & fundamento non liceret asserere, corde per aurum debitè & sufficienter corroborato, etiam reliquis partibus & visceribus vitam ab eodem mutuantibus, calorem & spiritus vitales communicari?

Hoc enim modo nulla est causa, cur corde corroborato morbus amplius noceat & non abeat; cur symptoma urgeat & non evanescat; cur humores obstruant, repleant aut mordicent meatus viscerum & non per sua emunctoria, ut superflui & noxii educantur. Quid enim temperatissimus auri spiritus tanquam Regis Metallorum non efficiat, cum videamus reliquos spiritus ex mineralium familia eductos debitè, maximas habere vires; & constet per oculatam Chymicorum experientiam? Adhæc quis ignorat, cor esse focum caloris suppeditantem spiritus vitales & calorem naturalem universis corporis particulis, quorum beneficio expurgatur corpus à superfluitatibus, aperiuntur & reserantur obstructiones, congestæque feces educantur?

Quis insuper nescit, cor esse centrum corporis, æquè respiciens ad omnia viscera suæ peri-

pheriæ, ad quæ quasi lineas semidiametrales vitam & spiritus vivificos transmittit? Quibus sanè convincitur corde existente salvo & incolumi, reliqua esse & fieri salva & incolumia omnia: ob id enim COR comparatur Regi membris reliquis, tanquam subditis ut benè illis sit prospicienti; ob id primum vivens est, habens jus primogenituræ & inspectionem in reliqua. Interim auro quoque vim illam quibusvis morbis resistendi & quævis corporis membra confortandi non denegandum arbitror: quanquam cuilibet hîc suum judicium modo æquum illud sit & cum ratione atque experientia conveniat liberum, relinquo.

Cæterum vires hasce & virtutes in corpus humanum redundare ex usu Auri, non crudi aut quovis modo communi parati & exhibiti, notissimum est: Etenim quod Aureolus ille Theophrastus de metallis crassa sua materia indutis in genere asserit, quod videlicet eorundem usus in medicina non sit citra noxam, nisi prius comminuantur, alterentur, & natura metallica deposita in aliam essentiam transmutentur: parum etiam effectus ex iis sperandum si non præcessit applicationem præparatio, quam Alchymia docet, id est, si ante in sua arcana, olea, balsama, quintas essentias tincturas calces sales crocos & his similia, redacta fuerint & ægrotis debite administrata.

Quod

Quod inquam, in genere de omnibus adstruit metallis Paracelsus, id de Auro quoque hoc loco intelligendum est & accipiendum: nam Aurum ipsum nisi debitè præparetur & à compedibus, quibus præ reliquis omnibus firmissimæ detinetur & impeditur, liberetur, nil planè virium medicinalium, corpori humano præstare, sed potius eidem obesse, quis est qui non agnoscat? Est enim aurum ex iis remediis, quæ medicinalia vocat doctissimus Petrus Severinus Danus c. 15. suæ Ideæ Medico-Philosophicæ, & altiora in quibus potentiores proprietates conspiciuntur, quæ sola & sincera difficulter assumuntur, & symptomata gravia adducunt, nisi præparatione innoxia reddantur, quia excedunt vires Mechanicorum humani corporis. Hinc rectè quoque scribit summus ille Spagyrus Paracelsus l. 6. de resuc. rer. nat. Pseudomedicos maximè errasse, qui loco auri potabilis, quintæ essentiæ auri, tincturæ auri, pulverem crudi auri exhibuerunt, non cõsiderantes discrepantiam, imò malum quod ex tali usu sit subsequutum. Nam exinde duo necessariò evenire ait; aut enim calx illa seu pulvis auri, hoc crasso modo & crudo exhibitus in ventriculo accumulatur, & nihil mutatum aurum tandem per familiarem sellam rejicitur & aurum frustra deperditur: aut calore interno intensiore forte in metallicam for-

mam reducitur & intestinis ventriculoq; adhęrescens eadem membra incrustando inaurandoq; oblinit & sic concoctionem impediendo & depravando, multorũ variorumq; morborum & mortis quandoq; occasio & causa esse potest. Videant ergò quid agant, qui dum in cordialib. & corroborantibus, etiam pillulas deaurando, aurum vel foliatũ vel pulveratum vel alio crassiori modo paratũ cõmiscuerint in majori quantitate, se magnum quid pręstitisse, & ob id magnos esse viros sibi imaginantur; videant, inquam quid agant, & quomodo hoc defendant.

Hactenus sat fusè circa genericum auri usum medicinalem versati sumus, & cum umbris Misochymicis aperto marte concertavimus: quibus dissipatis, lubet nunc adire & ingredi laboratoria Hermeticorum, & ex iisdẽ nonnullas ex auro remediorũ præparationes & descriptiones pace & venia ipsorum mutuo assumere, & modo ipsis solito cõsuetoq; proponere. Varias autem eas esse & multas, à variis artificib. Chymicis susceptas, peractas, atq; salubriter in usũ Medicum translatas deprehendo: quas idcircò omnes & singulas hîc recẽsendas mihi non sumo nec arrogo; præsertim cum non omnes sed paucissimas saltem mihi innotuisse, & cognitas esse lubens & ultro confitear. Quin multas adhuc secretiores secretò servari apud artifices

Chy-

Chymiatros, & in arcanis meritò haberi & detineri; certum est, ob vulgi contemptum & odium adversantium Misochymicorum, ut de ingratitudine plurimorũ nil dicam. Neq; ob id vituperandi sunt, contemnendi & calumniis proscindẽdi hujusmodi artifices sua arcana secretò asservantes, cum ipse etiam Hippocrates non quosvis ad medicinã admiserit, sed orgiis solummodo initiatos: imò juramento etiam vetuit artis publicationem & communicationem, nisi iis qui filii fuerint, vel discipuli jurati. In quorum discipulorum numerum me esse receptum gaudeo; & quosvis veros artifices atque Magistros [Hermeticos intelligo & inter hos gloriosos illos mysteriorũ naturaliũ thesaurarios toto nunc terrarũ orbe percelebres, non Magistros nostros Ethnicæ Philosophiæ mancipia] ea qua decet & par est animi contentione rogo atq; obtestor, me discipulũ suũ esse concedunt, & fontes scientiæ suæ arcanorũq; in me quoq; ex parte derivare non dedignentur. In ingratum se non collocasse & immemorem, quicquid id beneficii fuerit, dabo operam sedulò reipsa experiantur: de fidelitate & taciturnitate philosophica, quam hoc ipso sanctè polliceor, non dubitent.

Vestræ me censuræ meaque hæc & alia omnia lubens subjicio: rudes contra & afinina mente imbutos Misochymicos, sin licet

aliâs pellibus induti vulpinis aut Lupinis, asinina interim voce rudentes & canina latrantes hac in parte ne hili æstimo.

Inter omnes Chymicas auri præparationes primæ meritò dantur iis quas Mysteriarcha ille Theophrastus divinis suis scriptis gratæ & sagaci posteritati reliquit. Libavium [de quo tamen vitâ functo aliàs nil mali] hîc parum moror qui cœco quodam & inexplebili Paracelso contradicendi studio & desiderio alicujus famæ dubio procul motus l. syntag. arcan. c.19. hæc scribit: Paracelsum & Suchthenium, quiq; similes sunt negligimus. Nihil enim habent certi, & cum mentiti sunt ad miraculum usq;, sua mendacia excusant magicis sensibus, parabolis, mysticisque dictionibus, quas à plebeis intelligi negant, ut cum intima penetralia scrutati simus & ætatem laborando consumserimus, nihilominus his judicibus simus plus quam bis pueri.

Verum enimvero, quomodo Libavius Paracelso & Suchthenio viris tantis hanc illatam injuriam nunc coram ipsis defendere velit & possit, ipse videat. Hoc scio, mendacia horum virorum abs Libavio in tot hinc inde consarcinatis suis voluminibus nequaquam esse probata & demonstrata, licet multorum & eorundem, atrocium ipsos passim insimulet, cum tamen, legenti & rerum perito facile constare

poteſt, in ejus voluminibus nihil ſingulare & excellens reperiri, quod non Theophraſtum ſapiat.

Sed cum denato Libavio nolo contendere; potius aliorum virorum in arte Spagyrica celeberrimorum experientiæ ſedulo ſagacique labore partæ adſentior, qui ſummam certitudinem & unicam & ſolam veritatem Paracelſi ſcriptis contineri conteſtati ſunt & etiamnum conteſtantur.

Myſtica plura eſſe in ſcriptis Paracelſi fateor; quid tum poſtea? ob id ne mentitum eum fuiſſe, quia myſticè & parabolicè ſæpè fuerit locutus, te convincere poſſe arbitraris? Falleris qui hoc credis, & fallis qui hæc ſcribere auſus fueris Multi quidem lectis ſemel Paracelſi dictionibus, ſtatim omnem ſenſum earum ſe penetraſſe, & intima penetralia perſcrutatos fuiſſe, ac ſciam magnos eſſe Chymicos imaginantur ſibi; ſed falsò. Ut enim non ſufficit par calceorum rubeorum ad ſaltandum, quod per proverbium alias dici ſolet, requiruntur etiam crura robuſta & agilia, nec non bene ſaltandi peritia: Sic non ſufficit habere ſcripta Paracelſi, legiſſe hunc vel illum textum in ſcriptis ejuſdem: plus adhuc ingenii, acuminis, ſagacitatiſque requiritur.

Qui ergò cum fructu Paracelſi ſcripta legere & intelligere hauet, eum non opinionibus

aliorum deditum, sed soli veritati intentum, & præter intimam rerum naturalium scientiam & cognitionem in operationibus Chymicis versatissimam, esse oporret. At horum quot sunt hoc potissimum exulcerato mundi senio. Inter mille vix unus aut alter talis est; quanquam plurimi sint, qui ætatem in hisce consumentes, in fine tamen nihil solidi neq; intelligunt neq; operari sciant.

Quid ergo mirum, si secreta Paracelsi attingant paucissimi; imò is ipse, ut à paucissimis & iis peritioribus intelligeretur tantum omni studio & monstrosis, ut videntur insipientibus & non intelligentibus verissimis aliâs & certissimis dictionibus dogmata sua involuit. An verò propterea Paracelsus mendacii & falsitatis est insimulandus? sanè æquum non arbitror; imò injuria infertur tanto viro, quem nemini nisi abutentibus obfuisse unquam verissimè asserit sagacissimus Petræus in præfatione suæ Nosologiæ, si accusare aliquem ad probandum sufficiat, qui bonorum & eruditiorum virorum effugiet & evitabit calumnias & stimulos malevolorum, rudium & invidorum?

Hujus ergò viri incomparabilis scripta sagacissima & sapientissima si intelligerent, aut saltem paulò diligentius citra affectum perlegerent quidam, non illis esset Philosophus horrendus & impectus. Sed hi proprii capitis

pitis & barbæ etiam curam negligant, suavibus imaginationum Ethnicarum somniis oppressi: quos tamen non tam barbam, quam & potius capita quovis manè frequentius nec non aliquanto durius fricare & pectinare deceret, ut à somniis illis & veterno Ethnicę Philosophiæ expergefacti veræ & Christiano homine dignæ philosophiæ rerum naturæ in omnibus correspondentis participes fieri, & veritatis lucem depulsis errorum tenebris, possent apertis introspicere oculis. Ad quod feliciter incipiendum & perficiendum Ducem & ductorem sibi seligant post invocatum gratiæ Lumen & Numen, unicũ Paracelsum haut abs re Theophrasti nomine percelebrẽ: Ipse enim horrendam verè & impectam Ethnicæ philosophiæ larvam detrahet & visum aperiet, ut res ceu in natura sunt intueantur & earundem salutares atq; mirabiles deprehendant & experiantur virtutes. Quod nisi fecerint & nisi præterea opinionem ac fastum deposuerint; eosq; interim tanquã horrẽdos & impectos, imò ineptos & indignos si natura ab adytis suis abegerit, sibiipsis non Deo aut naturæ succenseant, & causam repulsionis adscribãt. Sed spretis pertinacissimorum ac pervicacissimorum quorundam immaturis & iniquis judiciis repudiatisq; invidorũ calumniis ad Monarchã Paracelsum revertor, quẽ inter varia ex auro pa-

rata

rata remedia præcipua posuisse offendo sequẽtia; Vitriolum videlicet solare, sulphur & Mercurium Solis: Auri item Arcanum, Magisterium, Liquorem, Quintam essentiam, Elixir, Balsamum, Crocum Tincturam, & quod omnium vices & vires supplere potest Aurum potabile.

Omnia huc transcribendi laborem mihi non sumo; sufficit inter hæc præcipua quatuor saltem adduxisse: nempe Mercurium solarem, Quintam Auri essentiam, Tincturam, & Aurum potabile propriè sic dictum. Reliqua qui scire hauet, ea suis locis quærat; ac Vitriolum solare describit l.5. de mort. rer. nat. & ex eo de verbo ad verbum exscripsit Duncanus Bornetus Scotus in Jatrochymiæ tertia parte: sulphur vero proponit in append. ad manuale de lap. philosoph. utriusque vires pene easdem scribit passim & Vitrioli quidem l.2. de morb. miner. c.7. & l.5. de mort. rer. nat. sulphuris præterea tom.6.c.7. de sulphure.

Arcani solaris mentionem facit tom.4. l.de ceduic. §. 4. Croci vero in append. ad manuale de lapide philosophorum: sic magisterium auri describit l. 6. Archidoxeos, de magisteriis; liquorem ejusdem l.2. de virib. memb. internis c.2. Elixit l. 4. de vit. longa c. 3. & Balsamum in Chirurgia magna ad quæ loca cupidum Lectorem remitto.

Mercu-

Mercurium ergò solis quod attinet, ejus Paracelsus passim & sparsim meminit, docetq; rationem Mercurium ex Auro extrahendi in appendice ad manuale de lapide philosophorum per aquam Mercurialem. Aliam parandi Mercurii rationem ex Quercetani l. de med. spagyr. præpar. c. 7. suæ inseruit Jatrochimiæ Duncanus, quæ talis est; Auri album corpus [quod veram esse Lunam fixam ait Quercetanus] post extractam tincturam cum triplo salis Tartari, Octava Antimonii, & quarta salis Vitrioli imbuitur cum muria mellacida digeritur spacio trium septimanarum, deinde distillatur, aqua emanans rursus affunditur idq; tamdiu donec satis attenuatum fuerit corpus, reiteratur: deinde ablutis salibus cum æquali pondere Salii Armoniaci præparati misceatur, sublimetur in florem qui flos irrigatur oleo Tartari ad eminentiam unius digiti, digerantur per octiduum, tandem depleatur oleum, & calx siccata immittatur sequenti aquæ Mercuriali, in qua solvetur in Mercurium.

Aquæ hæc Mercurialis, fit ex regia cui imponitur Mercurius dimidio pondere, cumque Mercurius in levi calore in aqua solutus fuerit, digerantur invicem calore putrefactionis, spacio quatuordecim dierum, deinde destillentur, Sic Aqua Mercurialis, per quam fit Mercuri-

curius auri, est præparata. Ex hoc Auri Mercurio ritè & secundum artem præcipitato fit Medicina efficacissima ad Hydropem, Luem Veneream, Elephantiasin, morphicam & alios plures consimiles morbos, quibus prodesse Mercurium solis præter alia ex Auro confecta medicamenta experientiâ edocti sunt viri Chymiatri haud vulgares, quorum liberali & amicâ communicationi omnia hæc accepta ultro refero, si tacendo aut simulando ingrati notam incurrere nolim.

Cæterum Paracelsus Mercurii solaris usum commendat ad guttam & omnes ejus species l. 2. de vit. breg. c. 2. sequenti mox capite ejusdem libri aut conferre ad lepram rubeam & subnectit difficulter eum præparari, cum sic loquatur hoc opus hic labor est, ut Mercurium exactè conficias. Nec respuit ejus usum in hoc sanando affectu & consimilibus peritissimus Crato dum in consilio sanandi Erysipelatis phlegmonodis & Morphææ hæc scribit: Scio, inquit, quosdam magnificè loqui de Mercurio Auri præcipitato, quo leprosos etiam se servasse perhibent. Sanè, subdit, si Mercurium Auri haberemus, judicarem non leviter massam sanguinis eo mundificari posse.

Addit loco allegato Paracelsus, Mercurium hunc Auri, licet ad tingenda Metalla non prorsus sufficiat, valere tamen in corpore ut illud sani-

sanitati restituat, Idem asserit plurimum valere ad fluxiones podagricas tollendas, Corallinum Arcanum, quod nihil aliud videtur esse, quam Mercurius hic solis, aut exinde constans Medicina: ait enim hoc arcanum esse de essentia Auri; putatq; quid impossibile esse Medico, sine hoc arcano percurare velle podagram.

Sanè hunc Auri Mercurium debitè paratum & legitimè in Medicum usum adhibitum experti sunt Chymiatri suas in corpore humano exerere operationes potissimum per sudores, & quandoq; etiam per secessum minima dosi 6.7. aut 8. granorum ponderis pro sumentis & morbi conditione exhibitum in vino, convenienti liquore, aut competenti alio aliquo quasi vehiculo, quo mediante commodè assumi aut devorari possit.

Nec minoris est efficaciæ & virium Quinta Auri essentia, quæ nihil aliud esse videtur, quam spiritualis & rubina Auri extractio, quæ universum corpus hominis quasi transmutare restaurare, & renovare valeat teste Paracelso tr. 1. de morb. miner. c. 2. Hinc non aurum quod Lepram funditus tollet & radicitus extirpet hominemq; sic infectum planè renovet ut habet idem l. 4. Archid. de quinta essentia.

Alibi alias vires & eas penè ad omnes morbos tollendos efficacissimas & sufficientes eidem quintæ auri essentiæ attribuit: ut taceam, quas

quas alii viri in artis ſpagyricæ operibus verſatiſſimi huic adſcribunt, & quotidiè ſalutares eas & proficuas experiuntur nonnulli, exhibendo eam in vino aut competenti alio aliquo liquore vel decocto pondere perexiguo.

Modum hujus parandi paſſim inſinuat Theophraſtus, præſertim l. 4. Archid. ſub generali ratione extrahendi ex Metallis quintam eſſentiam; qui talis eſt; ſolve Metallum in aquam, menſtruum per Balneum ſepara deſtillatione putrefaciendo tamdiu donec tranſeat in oleũ; id in phiola parva per alembicum deſtilla & remanet portio Metalli in fundo, quod denuo in oleum reſolve & diſtilla tamdiu, quoûſque per alembicum adſcenderit, pone in putrefactionem per menſem, poſt lentò igne deſtilla, tunc primò adſcendunt vapores quos ſepone; de hinc duo adſcendunt colores craſſi; unus albicans, alter repræſentans Metallum.

Hi per alembicum deſtillati in recipiente ab invicem ſeparantur, ità ut quinta eſſentia fundum petat, & albicans ille color ſupernatet, hunc per tritorium ſepara, & quintæ eſſentiæ phiolæ inditæ ſuperinfunde vinum ardens purificatum: ſtent ità, quoûſque acrimoniam acquirat vinum, tunc effunde ac aliud affunde; hunc laborem toties repete donec nulla amplius acrimonia percipiatur in vino; tunc aqua deſtillata bis ablue ad dulcedinem quam ſerva.

ferva. Habes enim quintam metalli essentiam.

Ab hac parum vel nihil distat Tinctura Auri, ut quæ nihil aliud sit, quàm color auri separatus à suo corpore; quod ob id album omnino relinquitur: hujus meminit Theophrastus in Chirurgia Magna & eam ita parat. Purum ab impuro sejungit; nisi enim, ait hoc primum fiat, omnis labor inutilis evadit; separatione facta statim ad coloris clarificationem ac ad summam graduum exaltationem properandum erit: Gradus autem ad quem Tinctura exaltari potest, quinquies duplus est, quinquies in bis 24. nam sublimior non evadit.

Doctissimus Quercetanus l. de Spag. Med. præp. c. 1. ponit descriptionem Tincturæ solaris; additq; aliam in Tetrade sua c.32. ænigmatica verborum obscuritate involutam, quæ tamen à rerum gnaris & in operatione Chymica versatis percipi facilè poterit. Non addo descriptiones, cum quivis easdem apud eundem si lubet, legere poterit: temporis & instituti ratio sedula mihi est habenda.

Huic Tincturæ solari ritè & ut decet paratæ, summum in expurgando, renovando, restituendo tum membro affecto aliquo, tum universi corporis sanguine mysterium & arcanum inesse; atque propterea variis iisq; deploratissimis morbis percurandis eam adapturi

testantur Chymiatri præcellentissimi potissimum si ex rebus singulis morbis privatim congruis administretur. In primis ultimam commendat Quercetanus dosi 4. aut 5. granorum aut guttarum ex aqua lilii convallii aut florum tiliæ adversus Epilepsias & vertigines; ex aqua Lavandulæ contra Apoplexias, ex aqua Calendulę adversus paralyses & cōtracturas propinatam: nec his refragatur experientia. Quod attinet Tincturam tincturarum sic dictam, quod non solum corpori humano prosit medicando, sed etiam imperfectiora quævis Metalla, in perfecta & sic in aurum tingendo transmutat, de ea hoc loco nihil habeo quod subnectam, tam quod instituti rationem transcendat; tàm quod ejus notitia secretissima sit & in arcanis ab artificibus veris unicè detineatur; tàm quod rarissimi sint inventu, qui eam possideant; licet sint qui glorientur non solum penes se latitare ipsam Tincturā & processum eam parandi, quâ Alexander Setorivis Scotus verè tingendo celebrem se passim demonstravit; sed etiam eandem alius venum exposuerunt. Quænam autem qualisnam ea sit & quantum valeat hactenus examini subjicere recusaverunt, veriti fortè hanc suam tincturam, cum in manus Vulcani pervenerit, tandem, quod Mercurius præcipitatus facere solet, in auras evolaturam. Quod nisi vereren-

tur,

tur, quid est quod Philochymicis amicis unicum granum ad projectionem in eorundem mer præsentia tentandam & vires ejus experiundas communicare adeò tergiversentur? Sed hoc cum putativâ suâ tinctura inaniter se oblectare permitto, & ad alia, quæ præsens requirit institutum, transeo, dicturus de Auro potabili.

Quicquid autem virium Medicinalium Auro adscribi potest & solet, id in specie remediis ex eo paratis attribuitur, id omne in unico Auro potabili concurrere deprehenditur: de eô itaque ultimo loco fusius paulò nonnulla pertractare animus est, presertim cum in solius & unius Auri potabilis preparatione & consecutione maxima ferè pars Chymiatrorum hodie occupetur & ex Pseudo Alchymistis plurimi inveniantur, qui se verum ejusdem parandi modum habere glorientur, imò id in magna copia pro vice quinq; unciarum & ultra pondere parasse jactitant, & passim pro vili preciô venum exponunt, unciam videlicet dimidiam pro sexaginta florenis.

Dico vile precium, quandoquidem si verum esset Aurum potabile, longè majoris precii æstimari deberet: imò qui tot uncias possideret veri auri potabilis, nonnè esset ditissimus, nec id vendere opus haberet? Sed impostorium est; nam talium aurum

putabile, nec colore nec odore nec sapore nec consistentia, vel aliquid saltem veri auri potabilis præ se ferre deprehenditur: imò vires & effectus, quos verum aurum potabile edit, præstat planè nullos.

Multum virium habere & edere id dicendum, si aquæ vitæ aureæ, quæ cordialis aqua esse creditur, nec aurum in substantia recipit, & quam agyrtæ nundinarii quandoq; vendere solent, viribus æquipolleret. Quæ ergò est horum audacia & temeritas, ut suis istis imposturis non solum nomen tantæ Medicinæ attribuere, sed etiam impudenter summas istas auri potabilis veri & genuini vires & virtutes stupendas adscribere, seque beneficio & medio hujus suæ imposturæ Hermeticæ Medicinæ studiosos, profiteri non erubescant?

Quasi vero sacra illa Hermetica Medicina tantis patrocinetur imposturis; quæ potius impostores hujusmodi cum tantis suis imposturis in crucem agendos suadet & præcipit, nec non ab iisdem sedulò sibi caveant, unicè cohortatur omnes. Neque hoc sufficit, verum cum Impostores hi semel verecundiæ fines transgressi fuerint, gnaviter postea sunt impudentes, dum ex scriptis & consarcinatis hinc inde dictis & elogiis Chymiatrorum, qui de veri ac legitimi auri potabilis viribus verissima tradiderunt imposturas suas obtegere, eis-

eiſdem aliàs minimè vendibilibus emendicatam ſuſpendere hederam, imperitoſque & incautos hoc modo decipere non verentur.

Hos & ſimiles propterea fugiendos eſſe moneo, imò caſtigandos ſuadeo: ſunt enim hujuſcemodi perditi impoſtores in cauſa, ut poſtmodum verum & genuinum aurum potabile malè audiat, & cum univerſa arte Chymica immeritò à vulgò & Miſochymicis aliiſque rerum Chymicarum ignaris irrideatur & contemnatur.

Quod tamen ab his, qui verè præparare, ut hac in parte concinnè loquitur Libavius & prudenter in uſum convertere poſſunt maximi æſtimatur, cumque aliqui ex fautoribus artis, licet Chymiæ imperitis tamen [quia in auri præcellentia aliquid eximii latitare perſuaſum habent nec ignorant effectus, ſeu quos vulgus Medicorum ei tribuit, ſeu quos Chymici philoſophi, quos celebritate integræ famæ, tantæq; ſapientiæ & experientiæ opinione & teſtimonio nequeunt contemnere, nedum amentiæ aut impoſturæ damnare] ſobriè & gratè Dei munera æſtimantibus, non malè dé ejus in affectibus humanis efficacia ſentiant, non deſunt præſtantes viri inter optimates, qui auream illam Medicinam, vel potius ſalutis humanæ præſidium, in hoc mundo cupidè deſiderent, nec patiantur ſibi ab hoſti-

bus Chymicorum tam nobile adincitatum invisum reddi quanquam impostoriam pseudochymicorum & falsariorum plusquam Vatiniano prosequantur odio.

De hoc passim multi multa scriptitarunt, quæ partim vera sunt & usui atq; experientiæ respondeant, partim verò falsa & imposturis plenissima; ut taceam nunc calumnias Misochymicorum penè innumeras, qui ut alia omnia ex mineralibus parata remedia, ita & hoc ex Auro naso adunco suspendunt, & pro figmentis ac nullius effectus salutaris habent, quicquid de Auro potabili & ejus viribus Medicinalibus scribant & dicant Chymiatri: Ideoq; non solum hoc remedium & consimilia ceu summas & morte piandas imposturus diris rabiosè devovent, verum etiam genuinos Chymicos quibus hominibus invisos reddere satagunt. Quod ut eò facilius consequantur miro quodam calumniandi studio in Paracelsum & ejus sectatores invehere, & nescio quæ mendacia & imposturas eidem adscribere & adfingere solent; cum tamen nullus eorum genuinam Paracelsi mentem, uti dictum assequatur, literæ saltem inhærentes & in rebus ac operationibus Chymicis parum aut nihil versati ne dicam exercitati, ad unum pene omnes.

Sed cum his mihi hoc loco nullum est negotium, nec patitur institutum, ut cum iis me-

diutius fatigem: quod si fortè cuidam animus est irrequietior, & rixæ ac contentionis cupidior, is quæ supra, contra umbras Misochymicas auri in medicina usum adlatrantes allata sunt, ruminet; inveniet quod agat. In præsenti negocio id saltem laconicè probare connitar, aurum solvi posse & debere, ut in Medicinam potabilem & summè salutarem redigi possit atq; sic usurpari.

Aurum ex iis esse, quæ maximam à natura obtinuerunt firmitudinem, durationem & constantiam seu fixitatem nullis facilè mediis solubilem, & inter ea præcipuum illo à natura dono ditatum, ut videatur nullis ignibus Elementaribus quantumvis violentissimis & alia omnia absumentibus edomari posse, communis plerorumq; est sententia. Et ob eam auri constantiam violentię elementorum omni resistentem, multi in eam devenerunt opinionē, imò in eum lapsi sunt errorem, ut Aurum solubile esse posse contumaciter pernegaverint, & adhuc sint qui pernegent: hanc ob causam ulterius prolapsi, quę de parando auro potabili philosophi Hermetici scripserunt, nil nisi somnia & figmenta esse adfirmare non sint veriti.

Quasi verò solum Aurum hanc in rebus sublunaribus prærogativam habeat, ut sit ἀδιάλυτον; & non potius omne coagulatum, suum

habeat imò & in seipso dissoluens. Atque in isto errore versantur non solum Misochymici, quibus tanquam ignorantibus fortè condonandum: verum etiam quod mirari subit eundem errorum lapidem volvunt nonnulli, qui multum temporis in laboribus Chymicis desudarunt, in artè aliàs sat versati.

Sed hoc experientia convincere debuisset, per quam constat, aurum non solum debita solutione & operatione transire in formam potabilem, verum etiam cum suo menstruo artis beneficio per alembicum agi posse, ita ut nunquam in formam metallicam reduci valeat: Et hæc omnia artis beneficio & modo, non quidem omnibus obvio, sed tamen certissimo & genuinis artificibus haut ignoto.

Quod argumentum ab experientia ductum eaque certa indubitata & oculari, tanti est roboris, & soliditatis, ut ultimum odium, verba sunt Libavii & invidia durissima insanissimaq; Misochymicorum dentes in eo perfregerit, nec auro potabili vel aliquid saltem nocere potuerit.

Sit ergò ratum & certum Aurum solvi posse, nec certius & magis ratum quid esse scio: qui Misochymicorum credere nolint tot tantisque veri auri potabilis assessoribus αὐτόπτοις & possessoribus, hos parum moror: potius artificibus Chymicis ego tamdiu credam, donec con-

contrarium Misochymici ad oculum demonstraverint, quod minus eos facere posse, quam demonstrare solem calore & lumine carere, certò scio. Solvi autem Aurum necessariò debere, ut possit fieri Medicina humano corpori utilis & proficua, neminem inficiari arbitror, qui quæ supra de auro & ejus viribus in genere fuere allata perlegerit. Ibi enim assertum est Aurum in sua corpulentia plus obesse quam prodesse, imò impossibile esse aurum compactum & solidum, quomodocunque etiam in folia, pulueres, limaturas vel atomos redactum aliquid saltem virium Medicinalium præstare.

Cujus hæc est causa; æquatio illa omnium qualitatum, nucleo Medicinali in auro superinduxit corticem externum durissimum: seu ut loquitur Michaël Majerus Chymiater præcellentissimus, clypeum Achillis auro appendit, sub quo tanquam testudo sub sua testa durissima interiora viscera abscondat, & ab injuriis prætereuntium, seu iniquè tractantium tueatur. Eaq; ratione idem asserit, Aurum seu Aureum castrum triplici esse muro circumdatum, cujus beneficio & munimine omnibus elementaribus hostibus insuperabile permanet, nisi quis clavem veram à Domino castri acceperit, juxta ardentissimas preces diutina animi speculatione, exercitio manuum & la-

bore Chymico; vel divina providentia cuidam peculariter favente ea clavis fideliter fuerit ab eam ante habente communicata.

Ob hujus itaque clavis defectum, multi circa aurum occupati & operam & oleum perdiderunt; multi verò, imò plures cum ex mentis suæ inscitia, aut laborum fuga, vel sumtuum necessariorum carentia, castrum hoc munitissimum superare, aurum vincere, ac totum medicinale reddere [quod etiam quamplurimis alias in literis & artificio Chymico versatissimis circumspectisque viris negotium omni tempore facessit maximum] non valuerint, mirum est, quantas nænias contexant, & quam subtilia reticula circumducant, ut muscas captent volantes. Solutione ergò debita auri cortex detrahendus, clypeus ille Achilleus removendus, & castrum aureum per clavem veram reserandum, ut nucleus medicinalis eximatur, viscera interna pateant, & ad Regias auri gazas aditus concedatur; quod nisi fiat, inefficax ad medendum ferè tota auri compages habetur, est & permanet.

Quomodo autem vera & philosophicè solvatur, quæ sit vera illa clavis, qua aurum hoc castrum, quod terrestrium thesaurorum omnium gazophylacium existit, commode reseretur, & per quam in id ingressus concedetur, cum hoc mysticum quid sit & summum arca-

arcanum paucissimis notum: Ideoq; fusius & apertius mihi discipulos inter Hermeticos minimos non est integrum nec cõcessum; imò si liceret non mihi tale quid arrogo, cum eam mihi non plenè in manus traditam esse, sed solummodo quasi in Cera impressam ostensam & oblatam fateri cogar. Per exiguum quod habeo notitiæ in hoc negocio, id non meo adscribo ingenio & meæ, industriæ, sed omne post Deum certis quibusdam artificibus Chymicis mihi amicissimis acceptum ingenuè refero. Minus itaque me à scopo aberrare posse confido, si, quod in aliis ex auro præparationibus adnotandis facere solitus fui, id etiam hic minimè negligam; sequar ergò vestigia artificum & adscribam quid Chymicorum Coryphæi de arcano hoc divinissimo nobis aperuerunt & scriptis suis communicarunt.

In primis Mysteriarcha noster Paracelsus quantum spectat ad ejus præparationem vires & usum, audiendus. Is, ut & supra dictis colligere, promiscuè utitur appellatione auri Potabilis, accommodans eam non paucis ex Auro remediis: sed licet eâdem illa indigetet appellatione, non tamen res eadem est, nisi latè & generaliter accipiatur vox Auri potabilis, pro eo scilicet medicamento ex auro quod quovis modo paratum intro exhibetur & propinatur. Propriè autem est Theophrasto

Aurum

Aurum potabile oleum auri ſine corroſivo, ut loquitur in ſcholiis ſuper libros de gradibus & compoſitionibus; & ex eo notavit Dornæus in Onomaſtico.

Quomodo autem ſine corroſivo aurum potabile præparari poſſit, cum multi ſint qui nullo alio modo Aurum ſolvi poſſe quàm per aquas corroſivas, aut ſalia corrodentia ſibi imaginari poſſunt; & propterea tale aurum potabile ęgris minimè propinandum eſſe arbitrantur, lubet pauca de hoc negocio in medium afferre.

Auri compagem ſolvi debere omninò ut tranſeat in Medicinam potabilem & ſalutarem paulo ante eſt aſſertum & demonſtratum: Illud autem fieri duplici via experientia edocuit, ſicca ſcilicet & humida. Siccam viam dico, cum Aurum ſine omni additione alicujus liquoris ſoluentis, aut ſolvendi habentis: humidam vero, cum per additionem talis liquoris ſolutio hæc auri attentatur. Per ſiccam itaque viam, paratur aurum potabile, per ſolam ignis applicationem debitam & convenientem, qui ignis eſt non materialis lignorum aut carbonum ſeu culinarius, qui licet ſit vehementiſſimus non tamen tantæ eſt efficaciæ, ut auri compagem ſolvere & id in eam formam redigere poſſit, ut poſt in metallicum corpus reduci nequeat; ſed formalis, ſpiritualis &

lis & astralis seu cœlestis, habens calorem omnia fæcundantem, & lucem vitam omnibus tribuentem.

Talis ignis administrationem & applicationem qui norunt, illi testati sunt Aurum brevi temporis spacio in oleosam substantiam verti, aut ulteriori applicatione hujus ignis id in pulverem reduci nunquam in formam metallicam reductibilem. Neq; sunt figmenta hæc; sed certissima experimenta à Natura non dissentientia, nota viris Illustribus & quibusdam artificibus Chymicis exercitatissimis; quanquam neminem cognoverim qui publicè ejus meminit adeò expresse ut facit Gaston Dulco in triplici præparatione Auri & argenti, cujus ob id testimonium huc transscribere placuit. Idcirco inquit, maluimus, Solo igne solum aurum & argentum in oleum mutare. Quod insciis & inexpertis operosum, scientibus & expertis est facillimum. Oleum autem hoc nostro modo paratum, omnis alterius rei aut corporis externi & suspecti expers est, & verum est aurum potabile quod multis morbis desperatis remedium est accommodatissimum, si vera sunt quæ de auro potabili referunt, quæ affirmare non ausim, quod nostræ professionis & Chrysopoiiæ artis limites prætergrediantur, & Medicorum judicio sint relinquenda.

Sed velint, nolint certum & experimento à nobis probatum est, Aurum solo igne in oleum verti posse, quod nusquam posthac in Aurum rediturum sit, nisi velut tinctura aurifica, argento vino, argentove puro misceatur eaque perficiat. Hæc ille; Interim in attenta lectione philosophorum occurrunt haut pauca ignem hunc, quis & qualis ille sit, dilucidè commonstrantia; quæ omnia attento lectori, qui in scriptis philosophorum versari non tergiversatur, observanda committo: neq; enim mihi licet ulterius quid de hoc igne addere; video quippe Harpocratem mihi nutantem, ut digitum ori adponam; huic itaq; sub pœnæ infidelitatis & neglectæ taciturnitatis, hîc obsequi cogor.

Ad viam ergò humidam conversus, ea fit & absolvitur per medium aliquod liquidū, quod communiter menstruum appellari solet. Hoc vel est universale & verè philosophicum, vel analogum & particulare: Philosophicum illud & universale secretissimū est solis philosophis notum, quod ob id aqua sapientiæ ab ipsis dicitur; estq; tale, quod citra omnem violentiam reclusis corporibus puras elicit essentias rejectis ad fundum fecibus non modo ex animalibus & vegetabilibus, quorum corpora teneriora sunt, verum etiam ex solidissimis Metallis ita ut forma Metallica destructa penitus humidum

midum primigenium eliciatur. Qualis fuisse perhibetur Aqua Cœlina Lullii, qua sola 143. specierum essentias prolectavit.

Hoc itaque universale menstruum quo ad aurum potabile hac via humidâ parandum utuntur genuini philosophi Hermetici, tale esse volunt, quod sit proprium & tale, quo Aurum dictum planè succumbat: In id enim aurum, ut decet immissum, mox ut nix liquescit in aqua calida, quæ postea non amplius potest segregari. In hujus investigationem omnes nervos intendere decet & oportet quoslibet, qui genuinam auri potabilis, Medicinæ præcellentissimæ, thesauri preciosissimæ extractionem possidere havent & desiderant: Est enim hoc unicum verum & genuinum menstruum, sine quo nunquam quis ad veri & legitimi auri potabilis possessionem, universalissimæ illæ medicinæ, poterit pervenire.

Ideoque quod philosophi id secretissimum semper occultarunt, factum est, ut rarissimum illud sit & paucissimis cognitum. Hoc est vera illa clavis per quam castrum illud aureum triplici muro circumdatum, unicè & facillime reseratur, sagacique rerum scrutatori aditus ad reconditos in auro thesauros legitimè conceditur.

Illud

Illud autem ex natura sumi certum est, sed & necessarium est, ut sit liquor ille viscosus, qui in natura communis est metallorum materia; quique potestate sit Aurum & cum auro coëat, ut glacies cum aqua feruente. Et tale menstruum verè & debito artificio paratum fatentur Spagyrici artifices, non solum omni noxa carere, ita ut per se etiam tuto & summo cum emolumento in desperatis propinari possit: verum etiam esse odore fragrantissimum & sapore dulcissimum suavissimumque.

Hoc universalissimum menstruum, cum uti dictum sit secretissimum, licet verum & genuinum aurum potabile nobis det & exhibeat; interim tamen aurum potabile quod per menstrua Analogica paratur non erit rejiciendum simpliciter, sed illud reliquis præferendum quod ad optimum illud & universalissimum propius accedit. Est enim & hoc maximi in Medicina usus præsertim si debita adhibita fuerit præparatio, & circumspectus postmodum usus accesserit. Universali enim menstruo; cum per ignorantiam & difficultatem, ut loquitur Crollius careamus; Interim, sicuti in-defectu phasianorum & perdicum famem carnibus bubulis & oleribus sedare contenti sumus; & sicuti coquus in absentia lignorum betulinorum & faginorum, ad coquendos cibos utitur quercino aut alio ita nos uni-

versa-

versalis illius loco particularia ea, quæ ad universale propius accedunt fastidiosè non respuamus, sed iisdem grata mente ergò philosophos & artifices, à quibus illa habemus, utamur. De particularibus ergò menstruis & sic particularibus auri potabilis præparationibus nunc non nulla subjicienda restant.

Menstrua autem hæc particularia partim sunt corrosiva, partim vero non corrosiva: illa ad primam solutionem, compagem scilicet soliditatis corporis aurei destruendam, ejusq; naturæ interioris postmodum consequendam facilius, & felicius reserationem & apertionem maximè videntur necessaria; munere hoc suo probè ut decet, peracto, tota postmodum segregari debent, præsertim cum ad usum internum auri solutio instituitur. Hæc segregatio, ut post fiat facilius, opus est ut menstruum illud corrosivum, priusquam ad aurum solvendum adhibeatur, per plures destillationes & circulationes sit redditum spiritualius, & ad quintæ naturæ simplicitatem perductum.

Hoc ipsum asserit Mysteriarcha, qui l.3. de vit. long. c.3. de præparatione Elixiris solaris, hæc habet: Resolve aurum unà cùm omni substantia auri corrosivo & idipsum tantisper dum fiat idem cùm corrosivo. Neque interim abhorreat animus ab ista aurum tranctandi ratione; auro enim, quatenus aurum est, cor-

rosivum præstat, & citra corrosivum mortuum est; ideoque quin tàm essentiam auri ibidem, citra corrosivum, inutilem existimat, & non immeritò: siquidem sine corrosivo corporea illa compages, quę est instar carceris virtutis medicinalis in auro, corpulentum illud ad medicinam inutile plane est, & mortuum, quam primum autē corrosivo illo externa hæc corporis compages resolvitur, jam primus quasi murus est superatus & ad vires auri reconditas paratus aditus.

Hoc corrosivum peracta & completa prima hac solutione totum postea est separandum; quod idem Paracelsus docet cum subdit; sequitur ergò, resolutionem per putrefactionem denuò esse removendam.

Quod si fortè de corrosivo quid adhæserit, illud præterquam quod propter vim auri infectio ex corrosivo auro nihil noceat, sed potius per virtutem alexipharmacam auri, qua non solum corpus humanum servat, ac liberum reddit ab omni ægritudine, neq; id corrumpi sinit, verum etiam & eò magis seipsum itq; citra omnem infectionem, edometur & in tincturam potius abeat medicinam præstantem, etiam per aliud menstruum commode emendatur corrigitur & tollitur.

Illud autem prioris respectu corrosivi, non corrosivum appellari potest, eò quod ex tali-bus

bus paretur, quorum materiæ veniunt in usus familiares, & innoxiè aliàs intra corpus exhibeantur: mitiusq; itaq; hoc est priori, quod auri compage solidiore per fortiora corrosiva tam edomita & fatriscente usurpatur. Quale est menstruum illud vegetabile Spiritus vini optimè præparatus & rectificatus vel etiam, si opus, Tartarisatus: solutio enim auri ablato menstruo corrosivo cum Spiritu vini simplici aut Tartarisato per debitam circulationem si justum tempus maceretur, noxa omnis corrosivi retunditur, mitigatur, & corrigitur. Neque tamen contrariari sibi videtur Paracelsus aut contradictoria proponere licet dixerit Aurum potabile esse oleum Auri sine corrosivis, & alibi Aurum sine corrosivo mortuum esse.

Dum enim dicit Aurum sine corrosivo esse mortuum, aurum considerat crudum ut videlicet adhuc est in sua corpulentia, ob quam planè inefficax est & nullas omnino edere potest vires Medicinales; nec edet unquam, nisi per adhibita corrosiva, non quælibet sed congrua & convenientia, corpulentia ista dematur & auferatur. Et sic vult intelligi primam Auri resolutionem, quæ nondum est & dat Aurum potabile, sed saltem materiam parat, per ulteriorem Spagyri operationem ex qua tandem prodit oleum hoc Auri

omnis corrosionis expers. Hac distinctione uno modo intelligatur Paracelsus, in dictis, & sequentibus cum ait; Corrosivum in auro nullo pacto corrosivum appellari debere.

Possent quidem plura in hanc rem dici; sed consultò ob brevitatis studium prætermittuntur: cuiq; liberum esto judicum, modo id cum ratione & experientia consentiat, quibus duobus ceu cruribus ubique ferè inniti Theophrastum mecum fatebitur, qui rerum naturalium & operationum Chymicarum non est ignarus, licet invidos aliter sentire non nesciam, quos tamen hac in parte nullius æstimo.

Ut ergò, qui artis spagyricæ operibus favent & iisdem delectantur habeant, quo suum oblectent genium, placuit aliquos parandi aurum potabile modos huc consignare, non quidem è meo cerebro prognatos, sed ab excellentissimis Spagyris partim publicis scriptis, partim privata liberalitate communicarunt. Sanè sicut per viam illam universalem seu menstruum universale Mercuriale, parandi aurum potabile unicus est: sic per menstrua Analogæ modos dant varii varios: quos universos & singulos huc transcribere & consarcinare nimis foret prolixum & tædiosum; videri possunt apud authores Chymicos, inter quos verè cluet doctissimus Quercetanus, vir de re

Spagy-

Spagyrica & universa medicina præclarè meritus. Hic de se ipso testatur, se non solum nosse & posse conficere aurum potabile verum, sed modos id parandi penes se etiam esse quam plures, dum sic scribit: Hoc ipsum ego, qui vel omnium Chymicorum infimus sum experientia cum libuerit possum oculis videndum subjicere, infra decem dies, extractam inquam variis modis Tincturam auri, nec non in potabilem liquorem supra viginti etiam formas ipsam redigere; cujus rei spondeo me certissimam fidem reipsa facturum ei, qui ingenuè post conspectum experimentum & rei veritatem, ignorantiam suam fateri velit, & tam nobilia ac præclara artificia antiquitati incognita suspicere & admirari. Sic præter hunc, qui plures velit modos, is inveniet haut inconcinnos apud Arragosium, Alexium, Evonymum, Fioravantam, Hieronymum Rubeum, Lullyum, Libavium, Matthiolum in Epistolis, Portam, Restadium & alios, quorum scripta typis excusa partim exant, partim verò horum & aliorum artificum Spagyrorum celeberrimorum abscondita latent & secreto asservantur.

Inter plurimos autem aurum potabile parandi modos maximè arridet ille, quem Philosophus sagacissimus & elegantissimus Basilius Valentinus Monachus exhibet pafsim &

ex professo l. de reb. supernat. & natur. cap. 6. in fine hac verborum serie: Accipe Spiritum salis, quo extrahe sulphur solis; oleum salis separa, & rectifica sulphur solis cum Spiritu vini ut fiat dulce absque corrosivis.

Postea accipe verum oleum Vitrioli, quod ex Vitriolo viridis æris paratur, in eo solve Martem, reduc denuo in Vitriolum, quod resolve in oleum aut Spiritum, hunc rectifica cum Spiritu vini, conjunge cum priori & separa vini Spiritum; materiam in fundo remanentem siccam, solve in Spiritu Mercurii debito pondere, circula & coagula, donec fixum & constans non adscendat.

Et hoc verum esse Aurum potabile asserit; quanquam idem author innuat quoque per oleum salis dulce cum Spiritu vini fieri posse aurum potabile. Nec aspernandus est modus parandi Aurum potabile quem exhibet Author viæ universalis; sed & hic sedulum, diligentem & in operationibus Chymicis versatissimum requirit & postulat artificem. Injuriam facerem Mysteriarchæ nostro, si eundem hîc sicco vellem pede pertransire, cum is ipse plures quoque habeat & ostendat modos, sit saltem qui eosdem intelligat atque ut decet operari sciat: quos apud eundem scrutetur & inquirat horum avi-

avidus; præsertim observandi sunt, quos describit lib. 6. Archid. de Magisteriis; ut lib. 2. de viribus memb. inter. cap. 2. Magnus ille Phædro sub titulo Liquoris Ophirizi aurum potabile describit in furno Chymico & parat hoc modo: Ophirizi, seu Aurum [quod ab insula Ophir sic dictum videtur unde Hiram Salomoni Regi ingentem auri optimi copiam attulerunt l.3.Reg.c.9.] per regale cementum sive Antimonium purgetur, purgatũ in lamellas extenditur, quas in viridi salis liquore dissolvit in pulverem, quam deinceps tantisper aqua cœlesti stillatitia eluit donec nulla salsedo percipiatur: aut si celerius expedire quis velit Ophirizi lamellas una cum plumbi lamellis per 24. horas cementat obtectas & postea sejungat; tunc calx auri parata est. Deinde super elotum pulverem, sive purgatam calcem fundit spiritum vini, ut sex digitos transversos supereminead, ac juncturis benè lutatis macerat simul in B.M. per dies 20. aut 30. tum effundit liquorem citrinum, relicto in fundo pulvere candidissimo, & spiritum vini subtilissimè in balneo à flavo Ophirizi liquore separat.

Postremo extractum Auri colorem rursum quinquies per retortulam agit, & tum quinta essentia solis, seu Aurum potabile optimum erit preparatum. Ante omnia enim necesse est, ut Aurum ex sua metallica natura & mal-

leatione per Aquam salis confringatur; quæ salis aqua, ubi hoc ad quod perficiendum fuerit adhibita munere suo perfuncta est, removeri debet, quod fit per ablutionem sæpè reiteratam ex aqua pluviali destillata: mox ut ex corpore auri essentia seu tinctura extrahatur, in promptu sit optimus Spiritus vini ex solo vino citra ullam additionem aliam paratus; hic tandem vim Medicinalem ex auro extrahit. Nam propter intimam correspondentiam solis mineralis cum hoc sole vegetabili aurum spiritui vini optimum de essentia sua lubens concedit & communicat; ita ut rectè dixisse videatur Basilius Valentinus, sine Spiritu vini non posse extrahi tincturam veram, soles, & genuinum aurum potabile parari.

Ut autem sola tinctura seu essentia solis in usum adhiberi posit, meritò menstruum hoc vegetabile, rursus abstrahitur: Et sic oleum auri, seu Aurum potabile citra corrosiva propriè sic dicta, paratur ab artificib. veris; quandoquidem præter sal, vinum & aquam nil aliud additur; quæ materiæ tales sunt, à quibus in cibo & potu quotidiè non abstinemus. Qui per Aquas validas & Regias aurum solvunt & inde potabile id elicere tentant minus fortè tuto quis adhiberi posse arbitrari posset: cui non multum obluctor: præsertim cum, uti dictum, alia via magis tuta id consequi posit diligens Spagyrus.

Post

Possem equidem addere alios quorundam, qui in vivis adhuc sunt, Chymicorum artificum, parandi aurum potabile modos haut vulgares & parum ab universali illa præparatione distantes: sed verior, ne mihi succenseant & me, quod eorum secreta propalare voluerim, infidelitatis coarguant. Ideoque ignoscant Candidi Lectores & contenti sint his ipsis quas ex principibus Chymicis huc transcripsi; nec apud citatos authores inquirere plures alias & eas varias descriptiones non graventur: Ubi veniam & licentiam hæc & alia secreta Chymica divulgandi ab iisdem à quibus habeo, impetravero multorum qui candidi sunt & sinceri, viris & expectationi non sum defuturus.

Vires Auri potabilis in genere quod attinet, eas præstat omnes, quæ vulgò & ab artificibus Auro attribuuntur, & quidem tantò efficacius quantò aurum fuerit redditum spiritualius & magis activum per adhibitam debitum & legitimam operationem spagyricam.

In specie verò vires auri potabilis diversas dant & enumerant diversi; & ex his nonnulli sunt nimis hyperbolici, suis videlicet præparationibus nimium & plus quam par est, tribuentes, quibus tamen rarò in omnibus ita respondet effectus, eam fortè ob causam, quod talium præparationes non sint verè philoso-

phicæ & à vero illo & genuino menſtruo quã longiſſimæ diſtent, licet aliàs ſat artificioſæ videantur. Interim tamen negare non poteſt, eas ſalutares edere effectus præſertim in morbis quibuſdam particularibus.

Sic Vitriolum ſolis Paracelſo eſt, conveniens Diaphoreticum in morbis pectoralibus, in primis qui oriuntur & mineralium & metallorum fumis, ut videre eſt apud eundem paſſim & præſertim l. 2. de morb. mir. cap. 7. & lib. 5. de more rerum naturalium: alibi vim eandem diaphoreticam Vitrioli aurei commendat ad cerebri affectiones & ad oppilationes de obſtruendas dando à granis quatuor ad ſcrupulum ſemis in convenienti aliquo aliquore.

Sic Arcanum Auri Paracelſus extollit ad tollendum morbum caducum tom. 4. l. de caduc. §. 4. exhibitum doſi ſcrupuli unius ad ſex vices per horam ante Paroxyſmum & diebus intermiſſionis manè & veſperi ad ſemiſcrupulum, donec tranſierit ſextus Paroxyſmus: Imò Quercetanus adſtruit hoc ipſum Arcanum ſolare maximè conferre ad tollenda omnia Maniarum Melancholiarumq; genera.

Croco ſolis mira præſtabis inquit Paracelſ. in appendice ad manuale de lapide philoſophorum; at requiritur ad ejus præparationem verus & peritus artifex non autem ſpurius ſeu puta-

putatitius impoſtor: hunc eundem ſuas edere operationes per ſudorē ait doctiſſimus Quercetanus in Tetrade; nec etſi alvi fluores magnos nonnunquam concitet, idcirco centra morborum petere & pervadere deſinere. Id enim commune habet cum cæteris Medicinis ſolaribus, quæ ex centris vitale Balſanum recreando ac corroborando radices & primus mali origines ac fontes exhauriunt modo naturæ tantum non nobis cognito.

Magiſterium Auri adſtruit Quercetanus eſſe quaſi Panaceam adverſus omnes vel deploratiſſimos morbos, quales ſunt Lepra, ſcrophulæ, malum mortuum, Morphæa, Exanthemata, Variolæ, Lues, Epilepſia, Apoplexia paralyſis contractura & id genus alia mala.

Liquorem Auri imprimis commendat ad curandas contracturas Myſteriarcha cum ait lib. 2. de Tart. tr. 1. c. 6. Adhuc unum quod eſt efficaciſſimum, ſit tamen apud vos ſine admiratione, ſcilicet Liquor Auri. Et paulò infra; item liquor auri & mumiæ efficaciſſima ſunt medicamenta in contractura: cujus experientiam feciſſe ſubnectit Sixtum quendam ex Grüningen, qui Landenbergerum quendam curavit ex contractura, quinquennio laborantem in noveno diebus ex liquoribus auri.

Sic ſolare Elixyr maximam habere vim Medi-

dicinalem adversus quosvis morbos etiam deploratissimos, utque ad conservandam sanitatem colligi potest ex iis quæ Paracelf. de eo affert l. 4. de vit. long. c. 3. cum ait: Cuicunque autem confertur Elixyn, idem ita transmutat ut haud dissimiliter sibi porro fixum maneat. Balsamum denique auri valere potissimum in externis, Lupo, ulceribus phagadenicis & cancro adstruit idem in Chirurgia magna: aliis porrò ex Auro paratis Medicinis suas attribuunt vires & dotes peculiares earundem authores & artifices. Sicuti ergò hæccè omnia in usu Medico plurimi à Paracelso & aliis in arte Chymica celeberrimis viris æstimantur & maximè commendantur; ita etiam Aurum potabile in cœlum usque laudibus extollitur & ceu ob singularem quandam præeminentiam & dignitatem aliis medicinis omnibus longissimè ante ponitur. Et non immeritò tot & tantæ Auro potabili adscribuntur vires, præsertim si per veram & legitimam solutionem atq; præparationem verè philosophicam debitè fuerit confectam & prudenti consilio solertique circumspectione in usus Medicos translatum.

Anima enim illa seu spiritus Auri genuinus quid non præstaret? Est hic vitæ humanæ thesaurus & rationem habet genericam ad quævis totius corporis membra, ob quam ut rectè

sentit

ſentit ex Lullio Libavius dirigitur in morbos membraque ſpecialia potiſſimum per adminiſtrationem cum talibus, quæ peculiariter huic vel illi membro affecto aut etiam morbo ſunt dicata.

Licet autem Aurum potabile per ſe ſat efficax ſit vires ſuas exerere & ad eas nullo indigeat alio adminiculo: interim tamen eum à ratione nil alienum committere arbitror, qui talia ſemper adjicit, quæ vel membro laboranti ſunt appropriata, vel affectui ipſi aliàs dicata. Quod prudenter ſapienterq; obſervaſſe videtur clariſſimus vir Jacobus Montanus Regiomontii Boruſſiæ quondam Med. D. præcellens, qui in inſtructione ſua de viribus operatione & ſalutari uſu Auri potabilis anno 1595. edita, & nuper Pandore Magnalium naturalium adjuncta hæc habet: neceſſum eſt, ut aurum potabile propinetur cum appropriatis, in quibus reſpectus habendus ad qualitatem affectus & ſedem ipſius; nam pro harum ratione varia conveniunt.

Ordine ergò idem author recenſet modum & media uſurpandi commodè precioſiſſimam hanc Medicinam per appropriata quibuslibet membris & morbis media: cujus ſinua eſt ille Auri verè putabilis propinator, de quo ſuprà facta eſt mentio, dum clariſſimi Montani plumis ſuas impoſturas ornare, & de verbo ad ver-

bum

bum ferè omnia, quæ de viribus operatione & usu veri auri potabilis olim publicavit, exscribere, & suæ decoctioni adscribere non eru- buerit, eum procul dubio in finem, ut habeat quo incautis & imperitis eò facilius imponat, & eò citius decipiat. Sed isthunc ad sui similes ablegatum relinquo, & ad vires Auri potabilis revertor, quod Philosophi Chymici & Moderni & prisci ferè omnes maximis semper Elogiis & laudibus extulerunt, quas hos loco recensere, & omnium authoritates huc consarcinare tædiosum nimis & inutile etiam reor: sufficit ea saltem, quæ Mysteriarcha Paracelsus de eo passim deprædicat, subjecisse.

Hic l. de membr. cont. inquit; tanta vis inest auro potabili, ut non satis possit prædicari: major enim vis confortandi non reperitur, ita ut per hoc remedium curentur omnes morbi, inprimis ii, qui sunt in summo gradu. Juvat namq; semper, ut vult doctissimus Quercetanus, sive alterando sive immutando, sive expellendo, sive aliis etiam modis, prout videlicet opus esse, poterit. Et qui non plurimum juvaret, cum, ut loquitur Hieronymus, Rubeus, aurum si quid aliud temperamento humano simile sit, eamq; ob causam & præterea calorē suo ferè cœlesti vires nostri corporis vitales præsertim earumque sedes, nempe cor cerebrum, jecur roboret, sanguinisque ac spiri-

tuum

tuum ſubſtantiam puriorem illuſtrioremque reddat?

Imò ut paucis omnia dicam, Aurum potatabile univerſale eſt remedium & vera panacea, quæ prodeſt alterando, penetrando, tartareas & tophaceas concretiones reſolvendo, obſtructa operiendo, putredines prohibendo aut delendo, Mercurialem frigiditatem corrigendo, venena diſſipando, ſpiritus temperatè & mediocriter attenuando, nimis attonitos figendo, ne citò difflentur, ſanguinem purificando, cor ſolidamq; ſubſtantiam confirmando, & omninò ut appoſitè alicubi loquitur Libavius tùm ut medicamentum tùm condimentum ſucco, qualitate ſpiritu per ſe vel per accidens ſimul peragendo.

Ut ita aurum potabile ſeu liquor Ophirizi, id ita nominante Phædrone illo Rodacheo interiores morbos omnes externoſq; quibus ob extremam malignitatem alia ratione ſubveniri non poteſt, evellat radicitus, niſi fatalis neceſſitas, Deo ita annuente repugnet.

Talia itaque & tanta cum præſtet verum & genuinum Aurum potabile; quis quæſo eſt adeò ingratus, qui illud ipſum condignus laudibus non concelebret, potiſſimum cum experientiam omnes hoſce effectus Auri potabilis genuini & veri

veri [dico genuini & veri, quia nebulonum quorundam imposturas, aliud quid nomine saltem re verò & effectu minimè tale, pro auro potabili hincinde exponentium, hîc planè exulare jubeo] passim comprobare notum sit?

Inde nemini obscurum esse potest, summam huic medicamento tam præcellenti inferri injuriam ab iis, qui Erasti hoc in negocio nugas, & Auberti ac Parisiensium, aliorumque immaturorum censorum Metaphysicas speculationes modò revocentes dignitati & præeminentiæ AURI POTABILIS ruinam machinantur quanquam conatu, frustraneo, & planè incongruo. Cæci enim de coloribus judicant, & rerum Chymicarum planè sunt ignari & expertes: ob id censere Chymica temerè præsumentes meritò irridentur, licet aliàs obdiu jam paratam apud vulgus existimationem aliquam sint suo loco debitè suspiciendi.

His accidit jure, quod olim Magno illo Alexandro Macedonum Regi; Is cum quondam officinam sculptoriam ingrederetur, tàm sculptoris famuli Regis magnificentiam ac splendorem admirati tanquam stupidi in eum intenderunt oculos, idque tamdiu donec ipse Rex majestatem suam silentio servaret; cum verò tam de hac operis sculptorii parte tam de illa suscitaretur à pueris risu exceptus dicitur. Quod cum indignè ferret, respondit sculptor

ptor; ne mireris Rex, quod pueri mei te irrideant: audiunt enim te de re ignota loquentem, si verò taceres maximoperè te admirarentur. Quid ergò mirum, si permulti alias sat docti, cum Chymicis operis sese immiscent, quas ne in cortice nôrunt, aliis sæpè numero, qui rem non ita lævis aspiciunt oculis, ridiculi æstimentur.

Neque me movet, quò minus tàm præclarè sentiam de præcellenti hoc medicamento Auro, Judicium Scaligeri, quod, ut ut in aliis sat maturum & subtile, crudum tamen vocat Petræus dissert. Harmon. 20. de syncope Thes. 34. dum exercit. 272. quæ de auro potabili Cardanus attulit fœdas nugas esse ait; nec licere naturam nostram per auri naturã instaurari, quià longissimè distet à natura nostra. Chymiatri n. utrum negant; contraq; asserunt & constanter tuentur, aurum non solum esse naturæ nostræ convenientissimum, verũ etiam per experientiam obtinent, summas & planè stupendas interim tamen maximè salutares Auro inesse potabili vires, de quib. paulò ante satis pro instituti ratione actũ. In dubium ergò vocent & rejiciant aurum nec non ex eo paratas Medicinas præstãtes & præsertim famosum illud aurũ potabile quicũq; velint ex Misochymicis, & aliis, artis osoribus: Verũ enim verò ii omnes, quot quot etiam sint, & quales quantivè esse velint

 & vi-

& videri, penes me tanti non valebunt, ut fidem tot possessoribus & assertoribus autoptis derogare velim aut debeam, potissimum cum sciam Aurum inter metalla preciosissimum non mortuum & omnis virtutis Medicinalis dote exutum & spoliatum à creatore esse productum, sed ut reliqua omnia, ita etiam Aurum in corporis humani utilitatem & emolumentum suas quoque & eas non exiguas accepisse dotes & vires.

Ratiunculas alias, quas contra Aurum potabile & ejus vires afferre solent Misochymici, cum ei sint nullius ferè ponderis & momenti, resq; & experientia ipsa contrarium loquatur, consultò hîc prætereo: qui legere eas desiderat, evoluere præter alios Libavium in Syntag. Arcan. Chym. l. 1. de Magist. form, c. 13. poterit, qui hac in re abundè satisfacit Misochymicis.

Restat tandem ut de dosi hujus Medicinæ præstantissimæ duobus aut tribus verbis nonnulla subjiciantur. Est autem dosis non novem guttarum, quam dosin constituit sui liquoris aureo colore flavescentis sæpè dictus auri putabilis propinatur: Ea ipsa enim præter alia multa coarguit, minimè esse verum aurum potabile, cujus sufficit unica gutta & ad summum, re ita postulante, tres exhibere solent artifices spagyri. Et non abs re, siquidem experiun-

riuntur guttā florenis aliquot vix sibi comparare posse. Neq; n. est, ut aliquis opinari possit, aurum potabile verū totum auri corpus in liquidam formā redactum; sed solummodo minima ejus portio: nam non tota auri compages seu corpus est medicamentosum sed interna duntaxat pars, quæ respectu massa alicujus aureæ minima revera est, quippe quæ se habeat instar centri Eā n. sola spiritualis est auri essentia, seu anima, vel astrum solis, cujus in corpore aureo portio est quantitate perexigua, sed viribus & virtute efficacissima. Contestante Mysteriarcha Paracelso, qui l. 4. Archid. de Quinta essentia ait; Sic ulterius indicamus quintam essentiam esse in auro quantitate parvam, reliqua portio mole maxima est corpus leprosum, in quo nec dulcedo adest, nec aciditas, neq; ulla virtus nisi sola permistio quatuor elementorum.

Quin idem in certo pondere certam & determinatam animæ solaris quantitatem l. 2. de caduco matricis §. 3. & asserit quinque uncias Auri [quæ monetæ faciunt & dant centum florenos,] vix unam drachmam animæ solaris, seu quintæ ejusdem essentiæ continere. Unde mirari subit impudentiam hujus boni viri, qui ex parva auri quantitate aureorum videlicet octo aut ad summum decem, quinque uncias auri potabilis veri, si

Diis placet, se consecutum sat ineptè & impostoriè gloriatur: quem cum suis imposturis malè valere jubeo, & unicè fugiendum admoneo, puniendumque, penes quos est potestas, relinquo.

Docuit jam sæpissimè experientia præter multorum Chymicorum testimonia unicam guttam duas etiam & ad summum tres sufficere pro dosi ad quosvis etiam periculosissimos morbos & contumacissimos averruncandos & percurandos.

Licet autem ut hoc obiter saltem attingam, pręcellentissima hęc Medicina quibusvis æquè ægrotis & hominibus à Deo sit clementissimè elargita; attamen quia præter studia, fastidia & labores, quos medicus in hujus acquisitione & præparatione exantlare cogitur, sumtus etiam facere debet haut exiguos, evasit Medicina divitum, qui eam solvere possunt, & solvere debent. Id ipsum observasse Arnoldum de villa nova refert, Guibertus, dum eum cum ægrotis, divitibus scilicet, antequam eos curare aggrederetur de certo precio pactum fuisse ait: & inde sibi sumit ansam & occasionem tantum virum calumnis proscindendi Medicus medico precium sanitatis restitutæ vel maximè invidens.

Sed Arnoldum hac in parte prudenter fecisse, & ob id minimè esse condemnandum calu-

mniisq;

mniisq; proscindendum rectè adstruit contra Guiberti calumnias Evvaldus de Hoghelande in historiis transmutationis metallicæ: quia Medicus Chymicus guttam nullam veri Auri potabilis per universale illud menstruum parati; sive granum nullum aurifici pulveris vel Tincturæ philosophicæ ægro exhibere potest, quin non multum pecuniæ, præter studia fastidia & labores ad eam comparandam impendere fuerit coactus.

Quæ autem causa & ratio est, ut Medicus Chymicus hæc omnia elargiatur gratis? Sanè non credo, Guilbertum aut ejus similem tam liberalem fuisse unquam. Et cur Arnoldus, atque alius Medicus Chymicus hac preciosa utens Medicina, non deberet cum divitibus desperatè decumbentibus pacisci? Quis enim hominum brevi tempore convalescens à gravi morbo, nisi ex pacto teneretur, aliquot aureos pro unica potiuncula in qua granum Tincturę, aut duæ tresvè guttæ genuini auri potabilis dilutæ essent, gratus erogaret? Vim sibi inferri existimarent: quin imò ipsi magnates non parum indignarentur.

Interim pauperibus & tenuioris fortunæ ægrotis ea proterea nō est deneganda, sed gratis elargienda amplam mercedē à Deo omnis boni remuneratoris liberatissimi expectando: quod pios spagyros & ChristianosMedicos sedulo observare non dubito. Verùm

Verùm de his hoc loco satis; id saltem, ut tandem huic sectioni finem imponam, monendum duxi de dosi auri potabilis veri, eam non temere esse augendam vel minuendam, sed cautè à prudenti & circumspecto Medico, qui æquè respiciat ad ipsammet auri potabilis præparationem, subjecti cui propinandum constitutionem, & morbi percurandi conditionem, non neglecta interim sedula & diligenti vehiculi, in quo & cum quo administrandum, consideratione, determinandam.

SECTIO TERTIA
de
MERCURIO.

Dignitate, præstante, necessitate & utilitate auri & exinde paratorum medicamentorum, tanquam metallorum perfectissimi & preciosissimi, sufficienter & fuse in antedictis demonstrata & ab ignorantium Misochymicorum calumniis vindicata: nunc quod instituti ratio postulat, ad Mercurium me converto dicturus de ejusdem quoque dignitate utilitate & necessitate in usu Medico, & simul demonstraturus immeritò eum & injustè à Misochymicæ, calumniatoribus dilacerari & rejici. Quo autem prolexior fui in Auri consideratione, nunc eo breviorem me futurum expectate.

Ac dignitatem & præstantiam Mercurii quod attinet, ratione ortus sui & nobilitatis nihil hic sum dicturus, cum de eo puncto multa eaque scitu jocunda & perutilia scripserint rerum Chymicarun indagatores sagacissimi: uti nec de utilitate & necessitate, quàm præstat tum ad congregationem auri ex aquis; tum ad inaurationem & inargentatio-

nem metallorum; tum etiam ad Mechanica quædam opera; quæ singula inculcare non est hujus loci & instituti.

Sic nil dicam, quod & quomodo sit mater, nõ solum metallorum, verùm etiam omnium quoque mineralium: cum alii fusius de hoc negocio & sat eruditè scripserint, quibus potius acquiescendum duxi, quam ut vel dicta dicam, vel dicenda non sat dignè proferam; imò nec temporis angustia patitur, nec instituti ratio permittit pluribus de his agere velle.

De utilitate solummodo & necessitate Mercurii in usu Medico nonnulla hic subjicere, & lapidem Misochymis calumniatoribus objicere animus est, ut habeant quod allatrent.

Cæterum Mercurius, ut de notatione nominis quid præmittatur, refertur inter metalla, non quod actu tale sit, sed quod potentia sit metallum: hicque Planetæ cœlestis nomine gaudet, non quod sit planeta Mercurius materia hujus Mercurii metallici, sed quod Chymici similitudinem consideraverint, quam habere planetæ cum Metallis deprehenduntur.

Et sic propter maximum & incertum motum argento vivo nomen Planetæ Mercurii attributum videtur. Propriè autem dictum arbitror Mercurium, quasi medium currentem; quid ille duo extrema intermedius ligare Chymicis philosophis creditur: Imò quia ipse

ipſe utrumq; extremum ſit & ligamentum intereadem; & ſi benè perſpicias, nil eſt in metallica natura niſi Mercurius fixus, minus fixus & volatilis. Quod Mercuriale non eſt, neque homogeneũ ſed fex & ſcoria exiſtit ſeparanda & projicienda in vias ut conculcetur pedibus. Hunc priſci ſapientes præter uſitatum characterem hũc ☿ quo caduceus ſignificatur cum anguibus geminis mare ſcilicet & fœmina mutuo connexu circumvolutis & concordibus, ad denotandam præter alia hermaphroditicam ejus naturam, aliis quoque notis hieroglyphicis denotabant, & nomine Anubidis, quem capite canino fingebant, appellabant.

Sed hæc altioris ſunt indaginis, nec ad hunc locum ſpectant; quod inſtituti ratio poſtulat, relictis notis hieroglyphicis, quibus, more conſueto, Chymici ſua arcana, ceu involucris ænigmaticis obtegere ſolent, ad Mercurium revertor.

Is nihil aliud, eſt quam liquor mineralis, qui ex Metallica viſcida ſulphureaque terra exacte contemperatus eſt, ſpirituoſus, frigidus quidem ad ſenſum tactus, at calidiſsimus quoad internum ejus ignem; cujus ratione operationes Mercurii ſunt ſummè admirabiles ad diſſolutiones omnium corporum Metallicorum.

Imò Mercurium efficacius corpora metal-

lica dissolvere & expeditius atq; citius id præstare ac quamvis aquam fortem, sit etiam fortissima, norunt & experti sunt, qui ex eo debitè in hunc usum præparato, veram auri solutionem philosophicam dependere deprehenderunt.

Hujus in Medicina usum planè neglexit maxima Dogmaticorum Medicorum pars, reputans argentum vivum ei rejiciens ceu lethiferum & summè noxium venenum: causam, cur ita sinistrè de Mercurio senserint, hanc colligo ex eorundem scriptis; paucissimos videlicet illorum veram argenti vivi cognitionem habuisse, & ferè omnes spagyricam ejus præparationem ignoravisse. Sive enim Dioscoridem, sive Halenum, sive Oribasium, sive Actuarium, sive alios ex eorum censu quis perlegat, eos quid sit, argentum vivum nunquam recte cognovisse deprehendet; siquidem id arte factum, nec ut Gal. l. 9. simpl. loquitur esse ex simplicibus sponte nascentibus medicamentis asseruerunt ex uno Dioscoride omnes.

Imò adeò ejus ignari fuerunt, ut cum eo etiam circa modum asservandi Mercurium, eundem errare errore erubuerint, dum eum alia vascula præter vitrea, plumbea, aut stannea exedere dicunt; cum tamen ut de vitreis nil dicam, plumbea aut stannea præ reliquis maxi-

maxime arrodat, sola terrena vero & lignea etiam ne minimum lædat; unde hodie ligneis vasculis citra damnum & jacturam commodè asservatur.

Sed talia hocloco parum moror, ad vires ejusdem medicinales & præparationes legitimas conversus, quid de his prisci Dogmatici tradiderint, anquirere magis necessarium duco. Dum autem priscos illos materiæ Medicæ scriptores & inter hoc reliquorum facile principem Dioscoridem evolvo, tam nullas salutares argenti vires apud ipsum invenio, ut etiam inter venena ipse Mercurium reponat, dum l. 6, c. 28. eundem camparat & æquiparat. Spumæ argenti eum ait; Argentum vinum potum eadem quæ spuma argenti infert.

Quas autem noxas inferat spuma argenti proximò præcedenti capite his verbis recenset: Spuma argenti potu, stomacho ventri & interaneis gravitatem cum magnis torminibus affert & nonnunquam pondere suo intestina vulnerat, urinamque supprimit; corpus intumet plumbeamq; deformitatem concipit.

Hunc de verbo ad verbum sequitur Paulus Ægineta libr. 5. de re Med, cap. 61. & libr. 7. de re Med. sub voce hydrargyri ait; Argentum vivum ad Medicum usum non valde assumitur, cum venenum existat.

Idem

Idem planè ſentit Aëtius Tetr. 1. ſerm. 1. & eandem cum dioſcoride & Ægineta recantat cantilenam Actuarius l. 5. method. med. c. 12. circa finem. Galenus autem, in quo ingenuitatis laudem promeretur l. 9. de ſimp. med. facult. c. 59. ſe nullum ejus feciſſe periculum in Medicina, & ob id ignorare an interimat, ſi devoretur vel admotum ſit, an non, ingenuè fatetur.

Ut ut autem apud priſcos illos quos recenſui dogmaticos argentum vivum adeò infame evaſit, ut etiam inter venena fuerit repoſitum: fuiſſe tamen illo etiam tempore, qui ejus uſum non penitus reſpuerunt ex eodem Ægineta colligi poteſt, dum l. 7. de re Med. mentionem facit quorundam, qui iſtud uſtum ac in cinerem redactum aliiſque ſpeciebus permiſtum colicis & volvuloſis bibendum dederunt.

Avicenna Arabum Medicorum princeps licet argentum vivum noxa omni prorſus carere non adſtruat nonnulla recenſens ex ejus uſu minus convenienti prodeuntia damna l. 2. tr. 2. c. 47. videtur tamen cognoviſſe illud quandoque citra noxam exhibitum fuiſſe, cum l. 4. fen. 6. tr. 1. c. 2. ſic ſcribat: Argentum quidem vivum plurimi qui bibunt non læduntur eo; egreditur enim cum diſpoſitione ſua per ventrem inferiorem.

Imò loco priori ait, incomprehenſum ſive incom-

incompertum esse argentum vivum extinctum gravitate sua obvia quæque corrodendo interficere. Sanè posteriores Medici Argentum vivum plurimum valere ad curanda ulcera contumacia cancrosa & phagædenica; ad dissolvendos item tumores nodosos, expellendos ventris lumbricos, omnemque putrilaginem emendandam manifestis experimentis deprehenderunt: Imò recentiores ulterius progressi eundem Mercurium ad luis venereæ curationem admovere ausi sunt, primò quidem extrinsecus in Emplastis unguentis & suffitibus; & tandem etiam internum ejus usum non reformidarunt dogmaticorum saniorum haut pstremi; dum certo artificio in pulverem præcipitatum & in pillulas concinnatum exhibuerunt. Et experientia hisce suffragata est & Mercurium in multis ardoribus urinarum, gonorrhæis fætidis & pustulis ac exulcerationibus malignis saluberrimum demonstravit.

Atque hinc magna pars modernorum Dogmaticorum eruditione & artis operibus celeberrimorum tam salubri & multijuga experientia commota unanimi suffragio à priscorum accusatione venenositatis Mercurium penitus absolverunt; & eum contra summis laudibus in usu Medico extulerunt, ita ut etiam crudum illum citra solertiorem aliquam præparationem, tutò multis morbis opitulari testati

testati fuerint nonnulli & ii non vulgaris eruditionis & experientiæ Medici Dogmatici.

De Hermeticis quid dicam? Hi Mercurii naturam penitius & intimius perscrutati, longe præstantiores & majores adhuc vires in eo deprehenderunt adversus vel deploratissimos morbos efficacissimas. Hinc illi ipsi in id summo studio incubuerunt, ut ex Mercurio plurima eaq; saluberrima pararent remedia diverso & summè artificioso apparatu: Inter quos elucet, & omnibus merito præeminet Mysteriarcha noster Paracelsus; quem postmodum secuti viri Chymiatri omnibus temporibus accuratissimas & precellentissimas Mercurii preparationes excogitaverunt, paraverunt, experti sunt, & vel scriptis vel oretenus posteris communicaverunt.

Priusquam autem præparationum ex Mercurio Catalogum subnectam, liceat hoc loco Mercuriomastyges quosdam insolentiores confutare & insontem innocentemq; Mercurium ab eorundem calumniis vindicare.

Cæterum ut Misochymici rei veritate & evidentia convicti quoddammodo concedere coguntur, ex Auro Paratas Medicinas posse tutò intra corpus adhiberi; Sic nullo pacto sibi patiuntur persuaderi ex Mercurio & aliis mineralibus parata remedia tutò in usum medicum adsumi posse, cum ea omnia sint illis summe venenosa.

Et

Et ut alia paulò ſeponam, Mercurius qui dicitur ſublimatus iis tanta qualitate maligna, toxica & ſummè deleteria præditus haberur ut inde nullo modo fieri poſſe medicamenta proficua & ſalutaria arbitrentur & putent.

Exinde ergò Miſochymici, qui ſe jam, quod volunt, obtinuiſſe ſibi imaginantur, quod à partibus ipſorum ſtare videant Fernelium virum alioqui doctiſſimum & experientiſsimum, Argenti vivi uſum ex agro medico proſcribunt, quod videlicet ſit venenum maximè deleterium: quodq; immania iis qui eo utuntur ſuperveniant ſymptomata; quod experiri ajunt, quibus iu uſum Medico per ſuffumigia & inunctiones, vel manuali ut metallariis & aurifabris id fuit familiarius.

Verum ut ab his divortium faciam & diſcentium, moveor præter ipſiſsimam experientiam, [qua edoctus ſum, mercurium debitè præparatum & legitimè adminiſtratum atq; exhibitum ſalutarem & innoxium ſe præſtitiſſe non lue venerea ſolum infectis, verum etiam aliis & iis periculoſiſsimis morbis ad deſperationem uſq; excarnificatis] ſuffragiis virorum in arte Medica verſatiſsimorum & Galeni etiam ſectatorum ſtrenuorum.

Hi unicum argentum vivum pro ſolo verò luis venereæ ῥιζοτόμῳ & Herculea tam pertinacis mali antidoto agnoverunt, uſur-

usurparunt, & scriptis suis ad hanc & alia plurimum commendaverunt: inter quos præcipui sunt, Fallopius, Matthiolus, Brassavola, Antonius Gallus, Lucas Chinus, Cæsalpinus, Mercatus Saxonia, Felix quondam ille Platerus; Steegius; ut taceam alios quam plurimos Italiæ, Galliæ, Germaniæ Medicos Dogmaticos.

Ne quid interim dicam de Medicis Hermeticis, Quercetano, Crollio, Hartmanno Beguino & aliis etiamnum viventibus & artis operibus celeberrimis. Neque tanti apud me potest Fernelii authoritas, quem aliàs meritò plurimi æstimandum duco, ut cum ipso & in gratiam ipsius aliorumque Misochymicorum credere velim aut debeam Mercurium esse venenum & quidem ex eorum genere, quæ tota sui substantia Θανάσιμα sint & funesta, cum eundem rationis & experientiæ judicium redarguat.

Si enim tale & tantum esset venenum utiq; nil nisi perniciem & internecionem adferret & inferret iis, quibus daretur & propinaretur: sed experientia quotidiana docuit, & experimenta Fallopii, Massariæ Matthioli Plateri & aliorum comprobârunt, citra omnem noxam mulieribus difficulter parturientibus pueris & adultioribus lumbricis divexatis salutariter propinatum fuisse; ut taceam nunc quan-

quantum emolumenti Mercurii ritè præparati usus attulerit quam plurimis Gallica lue infectis & ad desperationem decumbentibus.

Quid ergò Misochymici authoritate Fernelii vos fulcire præsumitis? Nullum est hoc fundamentum & dudum experientia authoritateque plurimorum Dogmaticorum penitus destructum & sublatum. Neque vos hac in parte tuetur Galeni quoq; authoritas; licet enim is alicubi afferat, Mercurium esse venenum corrodens, attamen non videtur id ex sua sententia asserere, sed potius ex vulgi persuasione falsa & futili. Hoc quod dico, ex ipsismet Galeni verbis supra allatis facile colligo, quando ait & sine circuitione fatetur se nullum planè fecisse experimentum, unde de argenti vivi qualitate & viribus statuere & judicare potuisset.

Si ergò Galenus argenti vivi vires nunquam per usum Medicum fuerit expertus, quo fundamento alio, quam ex vulgi relatione & persuasione id de Mercurio asserere potuit? Et dato, Mercurium esse venenosum, quid interim obstat, quin per debitam præparationem omnis venenositas sequestrari valeat? Ac, ut dicam quod res est, Mercurius per se & in sua essentia consideratus, omni caret venenositate, violentia & malignitate: quemadmodum dexter ejus ritè & secundum artem præparati

usus sæpius docuit & etiamnum docet. Quod si quid venenositatis & effectus deleterii acciderit, id adscribendum est, non ipsimet per se Mercurio, sed aliis extrinsecus eidem adhærentibus heterogeneis: quæ debita præparatione, antequam in usum veniat, sunt ab essentia Mercurii homogenea separanda; & hæc Mercurii essentia homogenea saluberrimum est & fit medicamentum.

Inde porrò constat, symptomata illa iter & ex usu hydrargyri nonnunquam provenientia non in Mercurium per se & homogeneam ejus essentiam referenda esse, sed in adhærentia heterogenea non debitè separata: quanquam debitè præparatus, cujus ratione planè innoxius esset, sinistrè tamen aut intempestivè usurpatus, & sic ex accidenti obesse potuit.

Quò enim medicina si debitè administretur, salubrior est, eò per sinistrum & intempestivũ usum evadit calamitosior: quod ipsum, si occasio ferret, & me in exempla diffundere animus mihi esset, per purgantia, opiata laudana, medicamenta diaphoretica & diuretica, ipsumq; divinissimam omnium antidotorum Galenicarum Theriacam satis superq; demonstrare possem. Sed facessat abusus, dexter usus Chymiatros occupet. Si quæ mala eveniunt, ea abusui potius accepta sunt referenda, minimè autem dextro usui: Et in specie adscribenda

hîc

hîc ſunt Mercurio vel omnino crudo, vel eidem non debitè aut ſufficienter præparato.

Unde colligitur, iniquos eos eſſe plane malevolos, qui dicta non conſiderantes ex ſola & mera invidia in Chymica & Chymiatros, Mercurium non ſolum privatim apud ægros & alios, verum etiam in publicis quandoq; conventibus ſuis onerare, & Chymiatros eodem artificio genuino præparato dextrè utentes audacter & quaſi in faciem calumniari erubeſcunt, dum Mercurium dulcem dictum, dulce nominant venenum, & Chymiatros vel tribus pillulis ex Mercurio paratis, impunè enecare homines plenis buccis mentiti fuerunt.

Tales profectò ante ſecum habitare debuiſſent & ſuas verrere ædes, quam injuſtè & iniquè de aliis contra propriam conſcientiam & rei veritatem tot mala & tanta mendacia profundere animum induxiſſent. Profectò ſuam hi produnt ignorantiam & caninam maledicendi inſaniam & invidiam, dum id quod neſciunt quid ſit, nec præparare norunt, aut dextre in uſum adhibere, tã protervè calumniantur. Cur enim vobis Mercurius dulcis, dulce eſt venenum? Dicite; & probate veris rationum & experientiæ fundamentis, crudum Mercurium eſſe venenum; & communicate quo vos dulcem paratis Mercurium, qui ſit venenum

num dulce. Is enim qui modo verè ſpagyrico paratus Chymicis eſt in uſu, omni caret non tantum venenoſitate, verum etiam omni vehementia alicujus operationis.

Quæ contra pillulas Mercuriales evomuerunt modo non attingo; commodius infra ubi earundem in ſpecie facturus ſum mentionem defenſio illarum ſuſcipietur: moram ne ægrè ferant. Id interim ſciant Miſochymici Mercurium & inde remedia debitè parata ſalutares effectus ob eorum calumnias minimè deperdere; ſufficit, experientiam ſtare & eſſe à partibus Mercurii & aliis omnibus Chymicorum genuinorum remediis: imò ea ipſa experientia luculentiſſimè hactenus demonſtravit Chymica remedia trino iſto adverbio, citò tutò & jocundè, quibus officium Medici deſcribit Galenus paſſim & cum eo Cornel. Celſ l.3. de med. c.4. vulgaribus iſtis dictis Galenicis, quorum tamen plurima Galenus, ignoravit, longiſſimè eſſe præferenda, ſicuti aliquanto fuſius prima ſectione probatum.

Sed hæc ſufficiant; ad Mercurium reverſus ſubjiciam nunc nonnulla, de remediis quibuſdam ex Mercurio paratis, quæ plurimi ac ſalutaris uſus in Medicina docuit experientia.

Sanè inter Medicos, qui ſe Galenicos profitentur, ut rectè monet doctiſſimus Quercetanus in conſilio de lue venerea, licet ſint, qui

Mercu-

Mercurium ex agro Medico non rejecerunt, nullus tamen eorum, nisi unà spagyricæ Medicinæ fuerit deditus, legitimam Mercurii præparationem attentavit, nec ullus dictorum attentare potuit, cum nullus ferè intimam Mercurii naturam cognoverit, & nullus verè Spagyricam ejus præparandi rationem sciverit aut addiscere voluerit: hinc crudum eum, aut crasso saltem modo præparatum & præcipitatum in usum Medicum receperunt & scriptis suis commendarunt.

Quod si his integrum fuit & laude dignum hoc modo Mercurium usurpasse & deprædicasse; quid obstabit quò minus Chymiatri eodem exactè repurgato & debitè præparato uti debeant aut possint? Quid etiam prohibet quò minus Chymiatri Medicamenta Chymicè ex Mercurio confecta dignis extollant Encomiis, eum, quid utilitatis præstet ita purificatus & præparatus Mercurius probè norint, & sæpissimè experti fuerint?

Qui ex Mercurio crudo faciunt coctum, ex vulgari plebeioq; nobilem & philosophicum ex noxio salutarem sulphur illi quod habet arsenicale exuendo, & superfluam illam humiditatem aqueam consumendo, inque, alexiterium & benignum naturæ medicamentum transmutando, quod postmodum fit primus præcipuus & tutissimus multornm morbo-

rum expulſos, citra metum omnium eorum ſymptomatum, quorum ex crudo alius & impuro conſequentium ratione & cauſa communiter ſuſpectus eſſe ſolet Mercurius: tales nonne ſumma laudè digni videntur? Et ſic cum Dogmaticis fatentur Hermetici crudum Mercurium tremorem facere & rigorem, niſi ut Theophraſtus loquitur, optimè præparetur ſi in tuo corpus ſumatur, quos efficit extra corpus. De hoc crudi Mercurii effectu, qui dubitare cauſit, is conſulat aurifabros & inauratores, eoſq; qui in fodinis verſantur, atq; tales & conſimiles noxas ſæpiſſimè experiuntur. Verum enimverò licet non negem dictas noxas & incommoda evenire iis qui crudo utuntur Mercurio; auſim tamen adfirmare, damna ea omnia fieri, non à Mercurio per ſe & ſimpliciter, ſed ut eſt impurus, & ex accidenti, propter commixtos illos quos habet vapores arſenicales ſummè noxios & ſedulò metuendos.

Ab iiſdem ubi per ſolertis artificis ac Philoſophi manus fuerit liberatus, non ſolum innoxiè ſumitur Mercurius, ſed verè tunc eſt, ut eum alicubi vocat Theophraſtus naturalis Theriaca. Quando ergò Chymici Mercurio utuntur, utuntur eo non crudo, quanquam crudus etiam non ſit toto genere deleterius aut venenatus, ſed accuratè & philoſophicè præparato: per quam præparationē antiquam pellem

pellem exuit, & novas qualitates, ac vires induit; fitq; ex vulgari & impuro philosophicus & purus, summeq; salutaris, non quidem quod sit vel calidus vel frigidus, aut hac vel illâ qualitate primâ secundâvè præditus, id enim parum refert, sed quod sit spiritus corporeus, aut corpus spirituale ut loquitur sagacissimus Quercetanus. Cæterum cum noxa Mercurii si quæ est. ferè consistat in ejus volabilitate, in id incubuerunt spagyri ut eâdē demtâ fixus redderetur: veræ igitur & salutares Mercurii præparationes consistūt in debita ejusdem fixatione quemadmodum venenum in aura quadam volatili. Fixus autem redditur per triplicē præsertim operationem spagyricam sublimationē videlicet, præcipitationem & destillationem: quas ubi perpessus fuerit, planè fit innoxius, & summè salutaris, & summa atq; efficacia blanda interim pro corpore humano expurgando elargitur & communicat medicamenta.

Salutari enim quadam vi spiritus unà cum arteriis peragrat, sanguinem cum venis & humores toto corpore fusos, itemq; medullam cum ossium intimis pervadit cavernis, & quicquid vitii nervos occupavit, aut inter carnem & cutim irrepsit corrigit universum.

Nolo autem, Misochymici arbitremini, me hæc de Mercurio confingere: audite, quæso, quid Libavius acerrimus & strenuus aliàs

Dogmaticæ factionis propugnator de argento vivo & eo quidem sublimato eruditissimè & verissimè scribat in syntag. arcan. Chym. l.7. de transmutat. Magister.c.27.

Multa sunt, inquit, in arte Chymica admiratione digna ex quibus sapientia, potentia, gloriaque Dei insigniter elucescit, & naturæ circa nos interior vultus potestasque recondita conspici potest: sed inter omnia vix est mirabilius opus actis, quam id quod jam tractandum suscepimus, propter vires effectaque & compositionem singularem, in qua aquaılla viva ponderosa, amicissima metallis, per se impura, imò ventus ille admirabilis, qui nihil habet in natura minerali conferendum sibi, quasi Gorgone conspecto, nihilominus servato pondere suo in lapidem transmutatur, qui puritate & perspicuitate sui cum quovis crystallo certat, potestate vero nihil sibi comparandum invenit. Est summum vitæ venenum postquam est interfectus; sed non minus etiam summum contra venenum remedia secum habet, atque adeò fieri potest omnium morborum sanabilium unicum remedium. Imò in eo tanta esse mysteria asserit, ut in hac vita non possit explorari nec enarrari omnis ejus potestas; ideoque satius esse monet hanc creaturam Dei gratis animis accipere & prædicare in ea creatoris sapientiam, quam plenā ejus notitiam sibi polliceri.

Quā

Qui itaque Mercurium cavillantur, eo ipso produnt, se foris saltem quasi per umbram aut Conopeum inspexisse naturam, tanquam ex illis unum quos Plato fingit in puteo tenebroso sedentes umbras rerum à Lumine aversas non autem res ipsas videre.

Hi sanè ardentibus precibus Deum Patrem Luminis jugiter solicitare deberent, ut ex isto tenebrarum & errorum puteo extraherentur: quod ubi consecuti fuerint, etiamsi putaverint ante se omnia cognita & perspecta habere, tunc tamen primum animadvertent in quanta fuerint Caligine, quamque fœdè in plerisque hallucinati.

Nam qui in veritatis lucidissimum campum ut eruditè & verè loquitur loco citato Libavius, ex tenebris mortalium producitur, sentit quasi umbrosum tegumentum aut membranam spissam opacamque prius oculis obtensam detrahi, ut jam omnia purè & per se uti sunt, possit intueri.

Sed quæ extra præsens sunt institutum, quid ad me? In errorum tenebris qui velit versari & permanere, per me licet; nemini ob id succenseo: sufficit Mercurium & quidem sublimatum licet sit unum venenum, esse tamen omne præsidium & quidem naturale ad morbos non tantum defectusq; hominum sed etiam Metallorum.

Est enim in eo summum arcanum sapientum; vis item incarnativa, utpote in Balsamo naturæ, quod mirabiliter renovet, & ab omni immunditia repurget, si adhærescens venenum ei fuerit adeptum. Quod qui præstare ignorant, nec didicerunt, ii ab usu illius in Medicina potissimum interno abstineant penitus: Usus namq; hîc requirit peritum sapientem providumq; Medicum; quippe quò efficacius & actuosius est medicamentum, eò periculosius in usu improvido intempestivo & temerario peccatur.

At statim hîc quosdam expetere audio communicationem modò genuini per quem adhærescens venenum revera adimi & Mercurius in salutare remedium transmutari possit: quibus ut satis fiat, ante omnia sedulò admoneo sese à Chymicorum scriptis & inprimis Paracelsio divelli non patiantur, sed frequenti & assiduâ lectione iisdem incumbunt, & præterea verorum artificum laboratoria non ita fugiant, sed laboribus adsuescant & operationum Chymicorum diversitates atque effectus addiscere non erubescant: Sic enim ejus quod desiderant, participes fieri possunt, & sibi acquirent medicamenta ex Mercurio & aliis metallis, atq; mineralibus summè salutaria & proficua. Passim autem apud authores Chymicos inveniuntur Mercurii præparationes solertis-

simæ

ſimæ & optimæ: quas tamen huc congerere & conſarcinare non eſt animus, nec id fert inſtituti ratio: ut autem cupidis lectoribus aliquâ ſaltem ex parte gratificer, lubet in Mercurii honorem ampliandum & Miſochymicos confutandi ergò, præparationem unam atq; alteram ſubnectere, dicturus de Turbith minerali ſine igne, de ſpiritu Mercurii, ſale ejuſdem, de Mercurio vitę ſimplici & ſolari, quibus addam ex Duncano deſcriptionem Laudani Mercurialis.

Ac Turbith hoc quod attinet, ipsũ eſt, quod Miſochymici allatrare ſolent & diffamari deſiderant, quam iniquè autẽ id tentent Miſochymici, paucis per occaſionem hãc oblatã modò demonſtrabo. Eſt a. hoc materia pillularum, quibus impunè necari homines à Chymiatris Miſochymici mentientes calumniantur. Quomodo vos Miſochymici de hiſce pillulis ita frivolè & temere judicare poteſtis, cum certò ſciam vos quales illę ſint, ex quib. conſtẽt ac quomodo præparentur, penitus ignorare? Priuſquam autem me ulterius Miſochymicis opponam, è re fore arbitratus ſunt præmittere ejuſdem præparationem, vires & uſum, ut videl. inde Miſochymici ſi volũt, ſapere diſcant. Eſt autem præparatio ea ſimplex admodum, & perficitur ſine omni ignis materialis externi & culinarii acceſſione in inſtrumẽto ad id negotium

tium apto & convenienti: sed temporis aliqua intercapedo ad eam absolvendam necessariò requiritur. Interim cautione opus est, ne parans hoc medicamentum lædatur per attractionem halitus alicujus noxii, qui inter commiscendum expirare solet, qui cerebrum primò adoritur, & sternutationis fit causa: Commodè autem evitari possunt clausis obturatisque aut aversis naribus.

Neque nimium festinet, aut negligentius præparationi incumbat laborans: alterutrum enim eorum ubi evenit usus medicamenti haud sufficienter & debitè præparati meritò fit & redditur suspectus. Materia ex qua, est una & gemina, simplex & composita; unam dico & simplicem, quia unum habet pro Basi Mercurium; geminam vero & compositam, quia ex duobus ad invicem conjunctis Mercurii, divinum hoc conficitur medicamentum: ut hinc rectè dixisse videatur Libavius lib. 7. syntag. cap. 30. Cogitatio subit hoc medicamentum esse inventum inquisitione duplicis Mercurii ex una radice.

Nolim autem succenseat candidus Lector, quod hujus componendi rationem non dilucidius expresserim; id enim citra crimen perjurii mihi mihimè fuit integrum: neque interim, quod crudus quidam Misochymicus cavillari ausus fuit, præparatio & ipsum medicamen-

camentum tanquam noxium & impostorium quid, statim rejiciatur & contemnatur, ex hoc capite, quod Chymiater noluerit communem & cuivis obviam esse harum suarum pillularum præparationem.

Quasi verò, quæ ipsis Misochymicis non statim communicentur, ob id sint & esse debeant futilia, inutilia, noxia & impostoria! Non is es, bone vir, cui statim omnia arcana & secreta communicentur: Osoribus enim & indignis, quique Chymiatriam & Chymica impudenter calumniari solent, talia non sunt in os intrudenda. Si candido animo & sincero humanitatis affectu præparationem ab ejus gnaro petiisses, fortè tibi illam candidè & sincerè communicasset: nunc cum nunquam scire eum à Chymiatro postulasti, is nihilominus, ut videas illum tibi benè velle, ad Libavium te remittit, quem oculos tibi aperuisse in Chymicis te aliquando confessum recordatur Chymiater.

Hunc autorem si attentè & non oscitanter pellegeris & intellexeris, invenire potuisti consimilem ferè præparationem loco proximè citato. Nec ab hac nostra distare videtur illa quam exhibet Crollius in sua Basilica Chymica cum ait; In secundo modo mortificantur corrosivi Spiritus Vitrioli & salis in Mercurio sublimato, è quo miro & simplici artificio

cio homogeneo, fit pulvis Chryſtallinus inſipidus.

Et hunc verè dulcem Mercurium poſſe denominari arbitror; ſaporis ſiquidem eſt ad dulcem ab inſipido declinantis: quem præter omnem rationem ſolius invidiæ & livoris ſtimulis agitati Miſochymici dulce venenum indigetare non erubeſcunt; at quam falſo titulum hunc divino huic medicamento, quod nunquam cognoverunt, nunquam præparaverunt, multò minus unquam uſum ejus experti fuerunt, attribuant Miſochymici, quis ſanæ mentis non videt.

Vires quod attinet, eas deprehenderunt Chymiatri ſummè ſalutares in febribus tertianis & quartanis, ictero, ſcabie, lue gallica, & aliis præter naturam affectibus quam plurimis; quod conteſtari poſſunt ægrotorum per idipſum medicamentum, divina cooperante gratiâ, reſtitutorum haut pauci.

Eſt enim ut rectè loquitur Crollius, unum è præſtantiſſimis catharticis, per ſe vel cum aliis catapotiis in uſu Medico radicaliter omnia noxia è corpore humano pellens: hocque illis non videbitur mirum, qui ſciunt Mercurium eſſe Balſamum naturæ, in quo eſt virtus incarnativa & regenerativa, mirabiliter renovans & clarificans ab omnibus impuratibus.

Hujus doſis eſt perexigua; nam ſumma doſis grana

grana quatuor non excedit. Exhibetur autem, cum succo liquiritiæ, extracto ejusdem aut si placet, cum extracto aliquo purgante, Rhabarbi, foliorum senæ, Mechoacannæ & consimili: cum horum alicujus portione sufficienti Mercurius hic accurate subigitur & in massulam redigitur; ex qua postmodum conficiuntur pillulæ quantitate majores vel minores, & sic numero quoq; plures vel pauciores, pro ut occasio est. Neq; propterea, ut argutè si Diis placet, nonnulli calumniantur, venenosum cōargui potest & debet medicamentum hocce, ut & Chymica alias cum parva dosis non sit inditium & signum alicujus venositatis, sed potius verum γνώρισμα debitæ & Chymicæ præparationis atq; inde resultantis summè efficacis operationis. Quod si exiguitas dosis certū & verum esset veneni indicium, quo Misochymici Diagridiū, Trochiscos alhandali & alia purgantia vehementiora reponent? Quid præterea de Bezoarticis statuendū? Licet ergò dicta purgātia & Bezoartica minima dosi propinentur, quis tamē unquā purgantia illa rejecit ex Dogmaticis; aut quis Bezoartica venenosa esse ausus fuerit? Nemo sanè; quin potiꝰ tantum tribuūt purgātib. illis Misochymici, ut ferè nulla compositio pillularum, aut Electuariorum in dispensatoriis & officinis sit quę non eadem recipiat & habeat. Adhæc tantum abest ut Bezoartica venenosa concedant, quin

potius ea ipsa summam contra venena vim & virtutem obtinere credant & profiteantur Dogmatici saniores ferè omnes.

Ut ut autem dosis hæc sit perexigua, & ob id facilè citra nauseam adsumatur; non tamen est inefficax, sed vires exerit necessarias & pro exigentia rei sufficientes: præcipuè & ferè semper per secessum citra vehementiam & torsiones, quæ in aliis non raró purgantibus se experiri & sentire conqueruntur haut pauci.

Nonnunquam etiam & tunc solum cum ventriculus scatet impuritatibus vitiosis, unum atque alterum vomitum proritati, sine illa vehementia quæ aliquando vomiturientes plurimum contorquet. Cæterum modus utendi hic est; manè jejuno stomacho offerantur pillulæ, post quarum assumptionem æger in lecto sese adhuc per horam contineat, cavendo ne superdormiat, quandoquidem experientia docuit, vim earum purgantem ferè ex toto evanescere, & in somno sudorem producere, nec eum inutilem & noxium.

Postquam verò surrexerit æger, jejunet per tres horas & tunc offerendum ei est jusculum aliquod: Convenientissimum est carnis bubulæ aut pisorum; in quorum defectu, etiam alia jiuscula non sunt repudianda.

Ideò autem jusculum offerri suadetur, quia, cum tardissimæ sint operationis & ferè non

ante

ante quam juſculum fuerit ingeſtum, maſſa illa per liquidum iſtud eſt reſolvenda & diluenda, ut medicina ſuas operationes quaſi jam ſoluta citius aggrediatur & felicius perficiat. Et has pillulas hoc modo uſurpatas nemini unquam obfuiſſe experientia comprobat, & conteſtari poſſunt, qui uſum earundem ſalutarem in variis & diverſis morbis febribus præſertim tertianis & acutis feliciſſimè ſunt experti; rumpantur etiam ilia Miſochymico omni, qui impudenter mentiendo Chymiatro imponere voluit, ac ſi tribus iſtis pillulis enecaret homines impunè.

Neque opus fuiſſet ob harum pillularum & aliorum medicamentorum infelicem & infauſtum uſum, & ſic Chymiatrorum cauſa novum extruere cæmiterium; potius id exegiſſe Miſochymicorum quorundam infauſtam praxin, & Impoſtorum ac Vetularum Medicaſtrarum, ſit etiam Alcyda Foreſtiana, temerariam curandi ægrotos præſumptionem & audaciam, docuit experientia.

Profectò hujuſcemodi Miſochymici ante ſecum habitare debuiſſent & ſuam verrere ædem, quàm injuſtè & iniquè de alio, à quo nunquam vel verbulo fuêre oblæſi, contra rei veritatem, & propriam conſcientiam ſentire & mentiendo proloqui. Tres pillulas ſe exhibuiſſe & etiamnum exhibere fatetur Chymiater,

ter, nec iis uti desiner propter Misochymicorum luridam invidiam: istis autem hominem ullum è medio sublatum, aut ulli unquam damnum aliquod illatum plane diffitetur & Misochymicos veritati hac in parte parcere, & nil nisi calumnias exsutire illis in faciem regerit.

Hoc se comprobaturum offert Chymiater, si opus, quàm plurimos in hac civitate iisdem tribus pillulis in variis & diversis morbis felicissimè usos fuisse, & se paucioribus iisdem obfuisse quam Misochymicos istos. Agite, si viri estis, probate, quod falso Chymiatro ob hasce pillulas imponere voluistis. Non potestis certo scio.

Quod si fortè cuidam, post earundem usum, quibus à febre tertiana quâ tum laborabat, liberabatur, aliquot elapsis diebus tandem sinistri quid evenerit, denuo vos provoco, si viri estis probate id eidem harum pillularum ratione evenisse & non potius aliam ob causam. Nec hoc cum rationis fundamento facere potestis: In promtu causa est; ignoratis compositionem earum & effectum earundem nec salutarem nec pravum unquam estis experti.

Quomodo ergò tam impudenter & audacter insontem Chymiatrum & saluberrimum hoc medicamentum calumniando detrahere bonis potuistis, Misochymici: sed iis, ad sui similes ablegatis sufficiant respondisse hęc, donec

nec forte occasio sese obtulerit liberius cum iisdem conversandi. Ad alia ex Mercurio parate remedia revertor dicturus paucissimis de spiritu Mercurio, cujus præparatio adeò in secretis asservatur, ut etiam paucissimis eam innotuisse certum sit.

Et non abs re; præterquam enim, quod spiritus Mercurii philosophicè præparatus unica ipsis sit clavis, per quam omnia metalla citra aliud corrosivum reserantur & in primam ut loquuntur, materiam resolvuntur, est etiam medium efficacissimum, & saluberrimum ad gravissimos & aliis Medicinis incurabiles morbos persanandos & abigendos.

De hoc ipso propriam jactare experientiam non jactito: Deò adjuvante ad eam sedulo conatu adspirare non negligam; interim ut aliquid de eo ex principibus Chymicis in medium afferatur, præ omnibus aliis rem tetigisse accuratissimè judico Basilium illum Valentinum philosophum Chymicum absolutissimū: sed dolendum Tholdenium non sincerè nec candidè omnia evulgasse; in pluribus quippe locis pro veris & genuinis rebus aut verbis falsa & adulterina, ac sic quid pro quo substituisse eum norunt & conqueruntur nonnulli in operibus Chymicis exercitatissimi &, contestari possunt, quibus αὐτόγραφα Basilii ad manus sunt.

Cæterum Mercurii ſpiritum qnod attinet, ejus deſcriptionem & parandi rationem ponit præfatus Baſilius l. de reb. nat. & ſupernat. c 3. circa finem his verbis. Accipe in nomine Domini rubeam argenti vivi mineram, aſpectu ſimilem cinabrio, & mineram auri optimam, quam habere potes, terendo pari pondere commiſce, priuſquam ullum expertæ fuerint ignem; ſuperfunde oleum Mercurii per ſe parátum ex vulgari de purato & ſublimato argento viuo, pone in digeſtionem per menſem, & habebis extractionem quæ magis eſt cœleſtis quam terreſtris: extractionem ſenſim deſtilla in B. M. & exibit phlegma, remanente in fundo oleo ponderoſo & gravi quod omnia metalla in momento aſſumit.

Huic oleo adde triplum pondus S. V. circula in Pelicano, quouſque colorem rubicundiſſimum inſtar ſanguinis conſpexeris, & ſaporem dulciſſimum nactus fueris: Spiritum rubeum & dulcem effunde ad liquorem reſtantem, cui alium recentem, affunde V. S. repetendo toties hunc laborem, donec materia evaſerit dulciſſima, & colore rubeo perſpicuo ſuperet quaſi Rubinum. Iſthæc conjunge quod deſtillatum fuerit, funde ſuper Tartarum albiſſimum calcinatum, & deſtilla in cineribus forti gradu ignis, tunc remanet ſpiritus vini in Tartaro, at ſpiritus Mercurii deſtillando ad-

do adſcendit & in recipientem pertrahitur. Et hic eſt ſpiritus ille Mercurii, ſine quo aurum potabile verum, vix aut certè nunquam parari poterit: Eſt enim hic ſolus vera & unica clavis, qua aurum corporale reſeratur & potabile ac ſpirituale redditur.

Hujus ſpiritus Mercurii dulciſſimi & fragrantiſſimi, vires vix effari audent artifices plerique: ſolus Baſilius ſtupendas quaſdam recenſet. Ait enim eum renovare homines & animalia, ut inſtar aquilarum rejuveneſcant: conſumere quin etiam omne quod noxium eſt & vitioſum in corpore, nec non hominem reddere ſanum & longævum. Efficaciſſimus inſuper eſt ad percurandos morbos deſperatos, puta hydropem phthiſmi, Podagram, Calculum, Epilepſiam, Apoplexiam, Lepram, & præſertim luem veneream, cujuſcunque ſpeciei gradus & ætatis; item omnis generis ulcera peſſima & inveterata, Lupum, Cancrum, fiſtulas & hujus ordinis alia.

Doſin & modum utendi æquè ſecretum atque ipſammet compoſitionem & præparationem jure quodam ſibi reſervarunt Chymiatri; quos tamen propterea minimè vituperandos cenſeo: cui communicaverint modum præparandi, eidem procul dubio doſin & modum utendi non denegabunt; hoc loco propter oſores alto involvuntur ea omnia ſilentio.

Atq; hæc de ſpiritu Mercurii laconicè dicta ſunto; de ſale ejuſdem paucula nunc adduntur: hic eſt ex ſpecificis leniter & quantum opus purgantibus ferè præcipuus, uti uſus & experientia edocere poteſt quamvis ejus gnarum. Ejus parandi rationem hanc elargior; ex minera Mercurii optima ſuo modo ab artificio elicito & præparato Mercurio, ſeu argento vivo, quod remanet debitè & ſufficienter reverberetur, cumq; ſimplici menſtruo ſolvendo, coagulando, filtrando extrahatur ſal albicans. Hic in vitreo vaſe probè clauſo & in loco ſicco diligenter aſſervetur, alias in liquorem facile ab aëre præſertim humidiore diſſolvitur, qui tamen per calorem debitum mox iterum coagulatur.

Et hic eſt verus ſal Mercurii, qui tutò intra corpus exhibetur à granis ſeptem ad ſemiſcrupulum: purgat blande citra nauſeam & citra omnia tormina per ſolum ſeceſſum ex corpore noxia quæque; nec ejus uſus, cæteris paribus, obeſt gravidis, pueris aut aliis delicatis & teneræ conſtitutionis hominibus.

Hiſce medicamentis Mercurialibus annumeratur, imò æquiparatur & confertur Mercurius vitæ, eximium illud & percelebre Chymicorum medicamentum: de quo etiam pauciſſima in medium afferam.

De hoc medicamine invenio diverſos diverſa

versa sentire & proponere: Quidam enim id plane rejiciunt & atrocibus passim proscindunt calumniis; quod facere solet putida]& putrida illa Misochymicorum turba, qui quod ignorant & non intelligunt, nec anquirere & addiscere satagunt, audacter calumniando reprehendunt & hinc inde confectis sophismatibus toti mundo invisum reddere, nihil non tentant; quos licet maximè invidos ne hili tamen æstimant Chymiatri, sed eos rident & in suæ ignorantiç luto sese volutare ad libitum permittunt. Quidam verò nimium & ultra quam suis præparationibus præstare possunt, Mercurio vitæ & consimilib. atrribuunt, quales sunt impostores jactabundi, lithotomi & oculistæ inflati, consimilisq; farinæ deceptores, qui nescientes artificiosas & verè spagyricas prçparationes Mercurii vitç aliorumq; nobilium remediorum Chymicorũ multò minus intelligentes genuinum eorum usum & utendi modũ, omnium verò minimè circumspectionem necessariam observantes, istis suis imposturis, quas insignibus titulis temerè ceu purpurea veste obvolutis palliare student, incautos ægrotos non tantum decipiunt & pecuniis emungunt, verum etiam in sarcophagum præcipitant.

Hos propterea sedulo fugiendos esse monẽt spagyri solertes genuini Hermetici & fide-

les Chymiatri: indigni enim ſunt bonorum omnium conſortio: nec eum iis impoſtoribus uno modulo metiendi veri Chymiatri.

Hi namque & vera ac legitima præparatione, Mercurium, cujus naturam vires & efficaciam ante habent probè cognitam & perſpectam, ita exaltare norunt, ut ob ſaluberrimos in contumaciſſimis & difficilimis ac ferè penitus deſperatis caſibus, quos comprobat experientia, effectus, jure optimo dici mereatur Mercurius vitæ, non quod terminum mortis præfixum abigere aut prolongare poſſit, ita ut eo uſus legibus naturæ obedire non debeat. Illud enim impoſſibile eſt: leges quippe naturæ ſunt inviolabiles; & homini ſtatutum eſt ſemel mori.

Verum quod vitam hominis à morborum injuriis vindicet & hominem ſanum ad præfixum vitæ terminum à morbis immunem reddat, ſi legitimè præparatus debitè uſurpetur & homo quoque utens illo, ſuum in uſu rerum non naturalium fecerit officium; inde ſic dici poſſe & dictum eſſe conjicio. Hunc itaq; Mercurium vitæ, qui vero artificio præparatum debita adhibita circumſpectione in uſum conferunt, deprehendunt eum nobiles revera præſtare actiones: ut ita ſimpliciter non ſit rejiciendus & reſpuendus; quod facere ſolent Chymico maſtiges invidi ex ejus abuſu verum uſum pa-

ſum pari rabie repudiantes, ſed parum rectè. Licet enim non ſemper præclarus ille, qui huic & aliis adſcribitur Chymicis, reſpondeat effectus; ob id ne ſtatim quis velit inferre iſthunc & alia plane nullius eſſe efficaciæ, imò penitus noxia? Non ſanè. Siquidem ut plures ſunt cauſæ ob quas in aliis quoque negotiis non optatus & proſper ſuccedat effectus; ſic etiam hîc evenire meminiſſe oportet Miſochymicos.

Nam vel cauſa eſt in medicamento ipſo, vel in Medico exhibente, vel in ægroto aſſumente, ut aut non ſequatur effectus, aut minus ſalutaris. Sic ubi medicamentum ipſum, non, ut decet, eſt paratum, ſed per additionem alicujus inconvenientis, vel per neglectum aut non intellectum ignis moderamen, vel per omiſſionem ejus quod ex requiſitis ad genuinam præparationem eſt ſummè neceſſarium, quoquo modo concinnatum, quomodo quæſo tale promiſſos & ſperatos edere poterit effectus? Pariter, ſi conſimilia medicamenta nobilia quis temerario uſu, ignarus omnis cognitionis ſcientiæ & prudentiæ Medico feliciter curaturo neceſſariæ, citra omnem circumſpectionem indiſcretè quibuſvis & quolibet tempore propinare præſumat: an non is magis oberit quàm proderit?

Sic ſi talia adſumens, medicè vivere tam re-

cuſet, ſed in ordinatè ſe in vivendi ratione gerere, & vel cibo & potu minùs cõgruo ſe replere, vel in paphũ navigare pro libitu velit; quomodo in tali ęgrotante medicamentũ aliàs nobile & generosũ, nobiles edere actiones poterit. Quemadmodum ergò inconſideratum, temerarium at intempeſtivum uſum non tantum Chymicorum, ſed etiam uſitatorum Dogmaticis ſemper cum veris Chymiatris ſum execratus; ita quoq; eos, qui peritè circumſpectè & εὐκαίρως uſurpata Chymica medicamenta nobiliſſima adeò protervè & impudenter traducunt & cavillantur, vel maximè deteſtor; id contra Miſochymicos ſtatuendo, Chymica omnia verè præparata & debitè adminiſtrata ſuis laudibus non eſſe ſpolianda.

Ut autem impoſſibilia & nimis hyperbolica minimè probo; ſic τὰ δύνατα quoque per ſubſequentes effectus ſæpiſſimè comprobata, ſilentio involvenda & tacendo contemnenda minimè honeſtum duco. Faceſſat abuſus, dexter uſus vero Chymiatros occupet.

Ad Mercurium vitæ reverſus, ejus deſcriptiones diverſas lubens omitto, qui eas videre deſiderat, quærat apud authores Libavium in ſyntagm. Arca: chym. l. 6. c. 19. Quercetanum in tetrade c. 33. & in Alexicaco c. 7. & alios. Theophraſtus, ut unius ſaltem atque alterius deſcriptionis mentionem faciem l. 5. Archid. de arcano

cano Mercurii vitæ hanc posuit præparationem, Recip Mercurium essenfificatum; purum ab impuro separat, post cum Antimonio sublimat, solvit super marmor & coagulat, hunc laborem quater repetit.

Consimilem & laconicam exhibet Chymiater dum vixit sagacissimus, Scheunemannus in denario suo Medico capite de Mercurio præcipitato. A. enim aquam lacteam ex parte una Reguli & partibus duabus Mercurii essensificati constantem; destillatum rectificat, solvit & coagulat. Utriusque hujus præparatio, ut fiat quodammodo dilucidior lubet confectionem Mercurii essensificati paucis subnectere.

Fit autem Mercurius essensificatus ex Mercurio in veram suam essentiam sublimationis apparatu reducto; à quo variis sublimationum & mundificationum, si ita libet, cohobiis nigredo illius mira abstrahitur, ut tandem verè homogeneus is & splendore ac claritate purissima instar Crystalli perspicuus emicet. In gratiam philochymiatrorum apparatum & processum subjicio, qui talis est: A. ⊖ optimum ⊙ ana; misceantur probè ac fluant in vase congruo donec omnis humiditas externa abscesserit & evaporaverit.

Massa teratur subtilissimè; post Mercurii libra una includatur alutâ ac pars una in

vas

vas figulinum exprimatur, cui superſternatur pars pulveris præfati, & ſic fiat ſtratum ſuper ſtratum, ut loquuntur artifices, donec totus Mercurius fuerit expreſſus & pulvis ille omnis inſumptus: hanc miſturam inde cucurbitæ æqualis latitudinis quæ ſit & luto probè munita, impo[illegible]e alembicum, commiſſuris probè lutatis, & convenienti ignis gradu Mercurium ſublima[illegible].

Feces in fundo remanentes abjiciantur, & Mercurius ſublimetur per ſe tamdiu, donec ſolus adſcenderit nec feces amplius relinquerit. Poſt A. aqua Regis philoſophorum, cui in cucurbita impone Mercurium tuum ſublimatum ut inibi ſolvatur: cum fuerit ſolutus abſtrahe per deſtillationem; abſtractâ aquâ, pelle Mercurium in altum, & adſcendet albiſſimus inſtar nivis; feces in fundo nigricantes abjice, & repete hunc laborem tamdiu, donec nullas in fundo feces relictas conſpexeris & Mercurius evaſerit inſtar Cryſtalli pellucidiſſimus.

Ex hoc Mercurio eſſenſificato paratur debito artificio aqua glacialis ſic dicta, quod inſtar glaciei dum deſtillatur deſcendit in recipientem, ex qua poſtmodum fit & paratur non ſolum Mercurius vitæ, ſed etiam aqua Mercurialis Philoſophorum; imò & Mercurius vitæ ſolearis adolendo huic præparatum & ſublimatum

tum aurum puriſſimum: quo autem artificio & præparationis modo ac apparatu omnia fiant, norunt procul dubio artifices; & alio tempore & occaſione fortè communicabitur. Neque enim omnia hîc ſunt ponenda. Hoc interim notet benevolus Lector, requiri hîc lac virginis [quid alii vocant Stomachum Struthionis Paracelſi cujus preparationem habet Begirinus in Tyrocin: Chym. c. 20.] Quintam eſſentiam Tartariſatam & alia.

Quercetanus, ut hoc obiter addam, ſimplicem vitæ Mercurium parat ex oleo glaciato, quod fit per deſtillationem Mercurii eſſenſificati & Reguli Martis ſtellati, præcipitando illud cum aqua ſimplici in pulverem & eluendo cum aqua ab omni ſalſedine ſeu acetopitate: Inde fit pulvis candidiſsimus, ob vehementiam nimiam multis ſuſpectus; quæ tamen tolli poteſt, & Mercurius ita cicurari, ut ſine ullo moleſtiæ ſenſu, quod ſui eſt officii promptiſſimè expediat.

Quomodo autem idem Quercetanus parat Mercurium vitæ ſolarem, videatur, apud eundem in tetrade c. 33. hîc vires nunc ſunt attingendæ, diverſæ illæ & in multis expertæ.

Sanè Theophraſtus ſuo Mercurio ineſſe arcanum renovandi omnia corporis membra; quæ in juvenibus habitant & in ſenibus ſunt abſumta, ſcribit; vim præterea reparandi deperdi-

perditas vires & depurandi hominem, ut cutim ungues, pilos & omnem impuritatem tollat & auferat. Quercetanus ad luem veneream, pestem venena quævis & omnia mala contagiosa & astralia, sive illa, quorum causæ nobis sunt occultæ, expellenda efficaciter adhiberi adstruit. Scheunemannus hunc commendat, ad morbos quos producit Mercurius præcipitatus limites suos transcendens; vultque eum ipsum esse verum podagræ remedium, utpote in quo sint amica conjunctione coadunata, resolventia mitigantia & corroborantia.

Hinc itaq; asserit radicitus eruncare omnes Tincturas podagricas, tum interiùs assumtum, quam exteriùs suffumigatum: si videlicet ex propria intemperantia dolores podagrici fuerint obnati. Talis enim podagra minus verè & rectè dicitur incurabilis, sed eæ, quæ ex parentum semine, jubente necessitate digestis maturitatum ac exaltationum temporibus quieto silentio expectatis efflorescunt, nulla arte stante vita eradicari queunt; quia malum solidis partibus intimius adhæsit. Ut autem penitus tolli nequeat ejusmodi Podagra, sublevari tamen quodammodo dolores, eorum insultus abbreviari, & impetus contundi membraque per debitam prophylaxin à contracturis & tophis vindicari, divina

bene-

benedictione accedente, per hunc Mercurium vitæ & alia apprimè hîc conducentia.

Cæterum vires hasce suas exerit Mercurius vitæ simplex pondere perexiguo exhibitus plerunque per vomitum & secessum in aliquibus; in aliis vero maximè dispositis vix nauseam proritando per alvum duntaxat camarinam fætentam & omnis pravitatis sentinam expurgat. Imò ejus unicum granum linguæ tantum admotum lenem vomitum proritare ait Quercetanus, & per experientiam constat; statim enim stomacho vim spiritualem communicat.

Neque tamen propterea quos proritet & cieat vomitiones vituperandum est hoc medicamentum & ceu noxium repudiandum: Est enim talis evacuatio quandoque necessaria & unicè requiritur; & ab hoc evacuandi modo non abstenuerũt prisci Medicorum Principes, qui eundem in variis & iis difficillimis morbis commendarunt expediundum per longè vehementiora & perniciosiora, quam est Vitrum Antimonii aut consimile ἐμετικὸν minerale.

Solaris Mercurius vitæ ferè semper per somni secessum purgat elective quosvis peccantes & noxios humores citra omnem molestiam in sola infusione communicatâ vis spiritua-

rituali purgante; quæ tantoperè abundat ut licet aliquot infusionibus una eadem dosis vim spiritualem elargiatur, nihil tamen omnino de pondere suo deperdere deprehendatur. Neque huic per secessum operationi Mercurius hic vitæ unicè & adeo est dicatus, ut non etiam per sudores, & urinas quandoque operetur prout videlicet natura ægri in hanc vel illam pronior fuerit & propensior.

Dosis deniq; Mercurii per se est perexigua; non enim excedit quantitatem trium granorum, quæ in conserva aliqua, extracto aliquo aut pillulis purgantibus, succo liquiritiæ aut pane hostiario, ut vocant, involuta data occasione exhibentur.

Quercetanus Mercurium vitæ solarem non per se exhibet sed solummodo ejus infusum, ad quod pro vice dat commacerandum, quinque vel septem ad summum grava ad duas uncias vini aut alterius alicujus liquoris ad præsens tunc negocium congruentis.

Quidam in Mercurii vitæ solutione post peractam præparationem, factâ intingunt pennam scriptoriam non temperatam, & adhærentem illi guttam in vinum aliquod medicatum ac pennam in eo colluunt ægrotantique semel in die manè scilicet circa octavam propinant & ægrum sudare jubent. Quo continuato ad aliquot dies, contestantur se percu-

raſſe

rasse Podagras, hydropes, Apoplexias, Paralyses, Lepras, & alios penè omnes morbos aliis curatu difficiles imò impossibiles.

Possent hic plura addi non solum de Mercurio vitæ, verum etiam de Turpethis mineralibus & variis Mercurii per præcipationis operationē præparationibus jocundis & summè in usu Medico salutaribus: Verum ne instuti limites transcendam, & calumniandi ansam majorem præbeam invidis istis & maledictis Misochymicis, qui omnia etiam optimè dicta & facta à Chymiatris in sinistrum torquere sensum & pessimè traducere solent, consultò hic pedem figo differens ea & alia ad commodiorem occasionem. Ut ergò finis huic sectioni Mercurio dicatæ imponatur citra verborum lenocinia ex Duncano Laudani Mercurialis superpondii loco descriptionem subnecto:

R. Argentum vivum ad libram unam; aceto in quo sal dissolutum fuerit lavetur, & postmodum cum libra sæpius purissimi salis commisceatur in pila lapidea ligneo pistillo tamdiu, donec sal nigrescat & argentum vivum absorbuerit; quô peracto sal & argentum vivum, per retortam pellatur in recipiens vas aqua frigida semiplenum: tum demum, hoc argentum vivum in lixivio sequenti bulliat, quò diutius eò melius. Aqua fervens funda-

tur

tur super calcem vivam probe agitetur, ubi refrigerata conquieverit per filtrum coletur: deinde aqua ista rursus calefacta fundatur super cineres clavellatos ac diligenter moveatur, postquam consederit iterum per filtrum coletur.

Postquam Mercurius satis in hoc lixivio bullierit, sumatur & cum aceto cum sale in eo dissoluto abluatur, & per sal, ut antea, retorto vase repurgetur, usque dum Crystalli instar pelluceat.

Deinde cum calchotare Vitrioli & sale communi torto pari pondere misceatur & pistillo ligneo in mortario lapideo subactus tandem, ut ars docet, sublimetur; isque labor ter quaterq; repetitur. Sublimatum hoc argentum vivum teritur, tritum inditur vitro affunditurq; Spiritus vini optimus ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, digeritur cum eo spacio dierum decem vel duodecim in B.M. calore lentissimo: tandem spiritus vini destillatione abstrahitur, ad priorem consistentiam, deinde affunditur aqua rosacea, cum qua spacio trium vel quatuor dierum digeritur, ac etiam tandem destillatione abstrahitur ut prius: demum exiccatur teriturque super marmore & in vitro loco humido liquescere finitur; solutum denuò inditum vitro moderato cinerum calore coagulatur: atque sic Laudanum Mer-

Mercuriale, quod Theophraſtus metallorum Theriacam præſtantiſſimam nominat, eſt abſolutum. Hujus virtus eſt juxta eundem, viſcidos & craſſos humores leniter expurgare, quibus expurgatis ſudorem movet & tandem naturalem ſomnum inducit: Huicce Laudano Paracelſus tantam vim adſcribit ut humores arthritidis auctiores, luesque venerea, ejus facultate ſola perfectè & abſolutè expurgari, morborum cauſæ afferri & quævis ulcera curari queant, ipſumque corpus priſtinæ ſanitati reſtitui, & quam diutiſſimè conſervari poſſit.

Poſſent equidem plura hic addi circa Mercurium, ſed brevitati ſtudens conſultò in aliud tempus & aliam differo occaſionem.

SECTIO QUARTA de ANTIMONIO.

ERgò absoluto de Mercurio quoq; post aurum discursu Chymiatrico, instituti ratio postulat, de ANTIMONIO tanquam minerali Metallis finitimo, quantum scilicet utilitatis & commodi præstat in Medicina, & quæ inde parari solent medicamenta ad morbos præ aliis efficacissima sermo quoq; instituatur.

Idque eam ob causam ut & hoc minerale à Misochymicorum iniquis vindicetur calumniis, debito id afficiatur honore, & sic, quod unicè est spectandum, Deus Ter Opt. Max. in operibus suis stupendis & admirandis magnificetur laudetur & celebretur, ægrotantique proximo salutaria communicentur remedia.

Antimonium inter mineralia & ea quæ finitima sunt metallis rectius reponitur minimè verò inter metalla: ut propterea non absq; ratione id ex catalogo metallorum expungere videatur Doctissimus Quercetanus in responsione ad Aubertum de ort. & caus. metall. Neque enim Antimonio competit definitio metallorum.

Licet

Licet autem per reductionem ex Antimonio fieri posse plumbum diffitear, non tamen ob id jure & verè dici posse adustum aut plumbi mineram mihi videtur: quippe quantumvis ex Mercurio fieri posse plumbum concesserim, non tamen statim rectè infertur argentum vivum est plumbum; sic non procedit argumentum, ex antimonio fieri potest, ergò & ipsum Antimonium est metallum.

Velim autem lector, hoc loco intelligas me loqui de metallo propriè sic dicto; nam impropriè & lata significatione si quis acceperit, cum eo mihi nullum planè erit negocium.

Dici posse metallum impropriâ concedo significatione, respectu scil. materiæ, eandem enim cum metallis obtinet: at respectu formæ metallicæ, quæ dat esse metallis, & sic propria acceptione nullatenus.

Sicuti enim respectu materiæ, quæ in Mercurio consistit, qui in metallis & Antimonio idem est Antimonium quoque metallum dici potest: Sic respectu formæ quæ in sulphure consistit metallico jam perfecto in cujusque specie minus appositè Antimonium dici potest metallum.

Licet autem forma hæc seu sulphur metallicum actu jam non sit in Antimonio, quæ est in metallis; potest tamen per debitam digestionem & depurationem philosophicam

 ad

ad eum perfectionis gradum perduci, ut etiam sulphuri, quod est in auro omnium metallorũ optimo & perfectissimo respondeat. Et hujus sulphuris ratione potest Antimonium dici metallum non quidem, ut sunt aliqua metalla in suo ordine perfecta, sed imperfectum, quatenus videlicet sulphur metallicum nunc est in Antimonio imperfectum: Et ea ratione & consideratione non abs re dici philosophis plumbum sive Saturnum non repugno consentiens hac in parte Suchthenio peritissimo l. de secret. Antim. c.1.

Ut ut autem sit & accipiatur Antimonium, parum hoc loco mihi interest; neq; enim circa Antimonii ortum & generationem pluribus versari animus est, cum instituti limites hoc excedat & longis verborum ambagibus gratioso & benivolo Lectori nullum parere velim tædium: potius quidnam utilitatis præstet in usu medico Antimonium & quænam inde salutaria paret medicamenta Spagyrus succincto sermone subnectere aggredior.

Antimonium apud diversos diversis appellitatur nominibus; dicitur namque στίμμι Græcis, Arabibus Asinath vel Azinath, Gerlandio Aleophil nigra, Avicennæ Atemed, Alchohel vel Alifim aliis Philosophis Hermeticis plumbum nigrum, Saturnus, quibusdam

eosmet:

cosmet: Vulgo vero Chymicorum, Latinorum Stibium, Antimonium, Germanorum vero Spießglaß vel rectius Spießglans.

Est autem Antimonium corpus minerale durum, terrestre, frangibile, constans ex duplici sulphure ex parte impuro ex parte verò purissimo sale item turbido & hydrargyro, specifica quadam virtute mutandi & poliendi prædito. De hoc diversi diversa scripserunt; inter omnes autem post Paracelsum punctum tulit, Basilius Valentinus, qui omnia scitu necessaria peculiari tractatu, quem currum triumphalem inscripsit, fusè & dilucidè communicavit: Ex hoc authore huc transcribere licet maximè necessaria & præcipua, quoad cognitionem & præparationem, usumq; Antimonii.

Huncipsum authorem sat luculenter omnia explicuisse & candidè posteris impertivisse non diffitentur Viri in Chymia versatissimi; quanquam, quod in præcedentibus etiam factum, invidia fortè vel incuria ejus, qui tractatum, illum publici juris fecit, plura depravata & falsa veris commista fuisse maximoperè doleant plurimi.

Ad Basilii ergò mentem, quæ naturæ ipsi consentit, Antimonium est, quod primam ejus originem spectat, nihil aliud, quam fumus mineralis coagulatus eandem in formam

visibilem, constantem ex plurimo sulphure, mediocri Mercurio & minimo sale; cujus tamen tantum in eo est, ut in duram illam friabilem & minimè ductilem transierit consistentiam.

In hoc tot & tantas esse reconditas vires & virtutes adstruunt, spagyricorum plerique, ut eas assequi sit difficillimum; longè sanè difficilius hoc est, quam ut nonnulli sibi imaginantur ignorantes Antimonium esse quasi chaos, abyssum & fontem inexhaustum spirituum mineralium; quorum ratione evenit ut in philosophica Antimonii præparatione miraculum miraculo succedat, colores omnis generis appareant, & in usu præparati virtus una excipiat aliam.

b Quicquid vero utilitatis præstat Antimonium, id omne spiritui ejusdem unicè est adscribendum; quem esse vim quandam latentem & eam singularem in ipso Antimonii corpore, [quam etiam in alio quovis misto sive minerale id sit sive vegetabile, esse & latere notum est in scholis Hermeticorum] quæ sola omnium operationum & effectuum quos in abigendis morbis & aliis efficiendis ad miraculum sæpe præstat Antimonium unica & sola est efficiens causa, tum maximè cum per adminiculum artis à corporea mole & corporeis vinculis ac impedimentis liberata fuerit & soluta.

Cujus

Cujus rei specimen in eo manifestè elucet, quod vitrificatum Antimonium, per plures affusiones vini, cui semper vim suam vomendi & dejiciendi communicat nullam ferè patiatur virium suarum imminutionem; quin potius eandem vim & efficaciam pluribus repetitis infusionibus pari semper operandi promtitudine elargiatur.

Imò calicem ex vitro Antimonii paratum vino in illo infuso semper impertire vim, purgandi & vomendi testis est doctissimus Rulandus senior in Centuriis.

Jure ergò quodam Antimonium comparari potest circulo, in quo quanto plus quis quærit, tanto plus semper invenit: nec sufficere arbitror unius hominis vitam ad indaganda & perscrutanda omnia quæ in Antimonio latent, miracula mysteria & arcana. In ipso enim sunt quatuor Elementorum qualitates; in eo reperiuntur omnes colores, deprehenduntur omnes saporum differentiæ: fixum est & volatile; in volatilitate fortè maximum est & summè deleterium venenum; contra in fixitate tam nulla est venenositas ut etiam summam exhibeat contrà venena medicinam.

Imò fatentur peritiores Chymici thesaurum in eo reperiri particulariter consequendarum, juxta gazophylatium thesauri omnium præstantissimi sanitatis: illo hîc seposito alterum

ambire, quemvis vere Medicum decet. Oportet enim Medicum primò & potissimum in creatoris munificentissimi humanos casus per elargita tam preciosa medicamenta sublevantis laudes, & proximi ægrotantis sanitatis restitutionem intentum esse; non ita in acquisitionem divitiarum: in quas tamen diductis faucibus plerosque inhiare dolendum honesto interim prætextu, ac si ob salutaris cujusdam Medicinæ, Chymiæ faveant & operam dent, sese obvelantes. Fides sit penes eosdem: res ipsa apud multos contrarium loquitur.

Quantumvis autem ineffabiles penè & summè stupendas vires atque virtutes medicinales in Antimonio latere certum sit, inventi tamen sunt non pauci omnibus temporibus & etiamnum inveniuntur, qui dum nihil à se ignorari sibi persuadent, nec quicquam, ut loquitur Quercetanus, veterum scriptis adjici aut de illis detrahi posse sat insulse condunt, etiam Antimonio ad raucedinem adlatrant, citra omnem discretionem id tanquam exitialissimum omnium venenum carpentes, repudiantes & ex agro Medico eliminantes.

Tanta est quorundam temeritas & pervicacia, ut nihil non reprehendere, & quod ipsi non intelligunt nec assequuntur statim pro noxio & perniciosso habere & rejicere, atque audacter calumniari soleant.

Sed

Sed qui præter Aurum & Mercurium etiam Antimonio & Vitriolo patrocinium meum contra Misochymicos sum pollicitus, promissa servabo, & ab Antimonii partibus stare non renuam: quod & statim aggredior succinctè demonstraturus Antimonium omninò in usum Medicum esse recipiendum; & extracta ab eo remedia, atque ut decet & par est, apparata in curatione variorum eorundemque deploratissimorum morborum infinita alia vulgaria, generosa licet & magistralia habeantur, subsidia multis stadiis post se relinquere.

Atque hoc modo præcipua convitia & mendacia iniquorum horumvè censorum diluentur, & Antimonium ab eorundem calumniis vindicatum pristino honori, qui jure optimo ipsi debetur restituetur.

Ac Antimonium ex usu medico immeritò eliminari inde constat, quod prisci Dogmatici ab ejus usu non abstinuerunt & recentiorum haut postremi eo uti minimè neglexerunt.

Inter antiquiores præcipui sunt Dioscorides, Galenus ipse Ægineta, Actuarius & alii; quorum ille nempe Dioscorides l. 5. c. 59. Antimonio adscribit vim adstringentem, & alia in usu medico præstantem: Galenus libr. 9. de Simst, medic. fac. cap. 56. ait;

ait; Stimmi ad facultatem deficcantem adjunctam habet adstrictionem, quamobrem & ocularibus medicinis commiscetur.

Hunc ipsum unicè sequuntur & concepta ejusdem verba exscribunt Ægineta, Oribusius & Ætius: Actuarius l.6. Method. scribit, id illotum validum præ se ferre vim adstringentem, in loto verò eam adeò esse retusam, ut sit fere expers morsus. Hisce non injuria ad numeratur Nicolaus Myrepsius qui sectione.1. de Antid. c. 470. in Antidoto dicta è Zingibere ad Epilepticos Apoplecticos, insanientes & quartanarios utili, Antimonii crudi drachmas tres ponit & admittit.

Recentiores quod attinet Dogmaticos, horum magnus est numerus; & sunt ii viri eruditione & authoritate haut vulgari prędíti, quos omnes & singulos allegare operosum est & non minus tædiosum.

Instar omnium erunt Arnoldus de villa nova, Cardanus Zvvingerus uterque Pater & Filius, Gesnerus, Platerus Rulandus, Goclenius & præter hos Matthiolus, cujus solius tanquam materiæ Medicæ indagatoris sagacissimi testimonium huc transferre lubet ex comm. in l.5. Dioscor. c.59.

Cæterum inquit Stibium vim dejectoriam sortitur præstantissimam, quanquam antiquorum ac recentiorum nullus præter unũ Theophra-

phrastum Paracelsum hoc literis memoriæque mandavit: Ubi insuper addit historias quatuor, quibus convincit contra osores & contemptores Antimonii, illud non esse venenosum & perniciosum, sed salutares edere effectus.

Prima est de Andrea Gallo Medico Tridentino insigni, qui pulmonum, cordis & ventriculi inflammatione laborans, indéq; & accessu aliorum symptomatum lethaliter decumbens ex tribus granis Antimonii præparati cum Rhodo saccharo assumtis convaluit; & corporis salutem ipsamque vitam in tot morbis deploratam Deo primùm, deinde huic medicamento retulit.

Addit ex relatione Handschii quendam pestilentia lethaliter correptum per totidem grana ex eodem saccharo exhibita integræ sanitati brevi temporis spacio fuisse restitutum: cui suam adjicit experientiam Matthiolus per quam annotavit in peste Bohemica annis duobus 62. & 63. grassante plures ex usu Vitri Antimonii cum confectione liberantis fuisse servatos. Neque hoc solum, verum etiam Melancholicum quendam Hypochondriacum per Stibium Hiacynthinum pristinam mentis suæ sanitatem recuperasse. Subnectit idem Lucam Contilem Senensem affectus sui ab omnibus Medicis derelicti ablationem & curam;

ram, sicq; sanitatem suam nulli post Deum nisi Antimonio acceptam referre: Unde subdit, non possum non mirari nonnullorum medicorum ingenium qui stibium venenum mortiferum esse contendunt.

Et paulò infra; hoc mihi dixisse sat est, ut illorum negligentiam, ne dicam inscitiam, palam faciam, qui suis opinionibus [profectò ridendis] inhærentes non vident dum stibium vituperant, interim tamen à præscriptis medicamentis non abstinent, imò quotidiè ferè iis utuntur quorum nonnulla, ut helleborus, Tithymallorum genus omne Pithyusa, Elaterium, Colocynthis, Armenius, atq; cæruleus, æris item squamma longè magis sumentibus nocent, quam Stibium, cujus usum in morbis sæpè miraculi speciem exhibuisse refert.

Nec moderniores usum Antimonii repudiarunt, sed id summi secreti loco habuerunt & condignis laudibus deprædicarunt: Sic acutissimus ille Peripateticus Cæsalpinus l. 3. de metall. c. 9. usum Antimonii in medicina non respuit maledicentiâ sed suæ id reservat necessitati.

Langius insuper l.3. Epist. c.6. Alexipharmacon ex hyacintho in quod vitrum Antimonii ingreditur, mire extollit. Sic præter Zvvingeros, Gesnerum, Platerum, Botallum & Nobilem

lem Rantzovium ac Goclenium, Rulandos, & alios Chymiatros ipſemet Libavius Antimonii uſum Medicum non repudiat, ſed ejus potius partes & cauſam jure quodam agere videtur.

Is enim poſtquam aliorum circa ſalutarem uſum Antimonii debitè præparati teſtimonia & experientias attulit, de ſuo hæc addit: In Antimonio, cujus vis medica infinitis examinibus & experientiis eſt ſpectata, non niſi vituperatores exiſtunt peſſimè traducentes id quod temerario ſui uſu docuit eſſe quandam artem benefaciendi & uſurpandi, quam & ſalutiferis actionibus abundè comprobavit. Si culpas exceſſum actionis, quanquam is ſępè fit ex accidenti, eveniatque etiam Rhabarbarum danti, ut impetu facto, natura ſolicitata motum turbulentum inducat, potes tam mite reddere vitrum ut cum Rhabarbaro certet; Omne enim ingenium elaborationis admittit.

Cur ergò non potius cogitamus de præparatione & uſu convenienti, quam de vituperio ejus quod non ſponte peccat? Perinde ſit ac ſi ſatyrus ignem criminari vellet, non autem diſcere à Prometheo verum innoxiumq; ejus uſum.

A Dogmaticis hiſce ſanioribus ad Hermeticos ex profeſſo qui ſe converterit, eoſdemque

que de usu & utilitate Antimonii consuluerit; præter alios quam plurimos [quorũ omnium elogia Antimonii si addere vellem, fortè nimium irritatem Misochymicos; facile enim irascuntur: ne ergo mali alicujus caũsa fiam, ira quippe multos in gravissimas sæpè præcipitavit ægritudines; huic labori supersedeo] Monarcham Paracelsum, Basilium, Valentinum Dornæum, Baconem, Penotum, Quercetanum, Crollium, Hartmannum Begirinum Duncanum & alios; eum certè perditè malum & planè invidum esse oportet, si imposterum Antimonium cavillari perrexerit, & id ex agro Medico averruncatum voluerit.

Sunt enim dicti Chymiatri omnes tantæ authoritatis, ut iis fidem hac in parte derogare voluisse, summæ esset impudentiæ & malitiæ perversissimæ; præsertim quod omnia ante per experientiam sæpius verissima se comperisse testentur & iisdem contestentur, qui Antimonio à Chymicis debitè parato & prudenter exhibito felicissimè in periculosissimis & contumacissimis morbis aliis Medicis incurabilibus usi sunt.

Quid dicam de aliis Chymiatris? Ex his neminem esse arbitror qui non summæ & admirandæ virtutis medicamenta ex Antimonio parari posse ultrò fateatur, & qui re ita exigente per datam occasionem viva & oculari expe-

experientia comprobare & demonstrare recuset.

Præ reliquis autem omnibus, ut de viribus Antimonii γενικῶς quid subjiciam, Monarcha Theophrastus, & cum eo Basilius Valentinus Antimonium supra omnia alia mineralia ita extulerunt, ut etiam primo Enti Auri illud adæquare voluerint ambo: Basilius inprimis id curru triumphali dignum judicavit & publico scripto docuit, Medico verò nil unquam esse debere commendatius ipsomet Antimonio.

Et cur non sit commendatissimum, cum usu saluberrimo in plerisque & iis contumacissimis ac periculosissimis casibus, clarissimum & præcellentissimum reddat medicum? Quid enim magis preclarum & celebrem reddit medicum, quam curatio Epilepsiæ, Apoplexiæ, Melancholiæ, Phthisis, Asthmatis, Hydropis, Colicæ, Pestis, Lepræ, Podagræ, contracturarum & aliorum, citissima, tutissima, jocundissima? Hanc autem perficiet Medicus dubio procul per medicamenta ex Antimonio debitè & spagyrico modo præparata, nec non prudenter circumspecteque administrata & usurpata. Testes sunt omnes Chymiatri; quibus suffragatur experientia: nec inficias ire possunt, si candidi sunt, Misochymici omnes.

Licet autem maximas & penè innumeras at-

que stupendas Antimonium præstare utilitates certum sit, dentes tamen & morsus invidorum pervicacium ac rabiosorum Misochymicorum effugere non potuit: ita ut id multi carpere ausi fuerint, qui licet Antimonium ipsis oblatum vix agnoscant nihilominus tamen ex solo auditu aut ad placitum sui similium id inter venena exitialissima sine rubore reponunt.

Egregium sanè, sinistrum puto, & impudens de re ignota judicium; sic cæci judicant de coloribus: qui ab extra Antimonium saltem intuetur, & ob id ipsum nil aliud esse & posse interno suo, quem fovet, hospite is haut absimilis est illi, qui in tenebris vaccas omnes nigri esse coloris judicare vellet. Annon hunc bubulci irriderent?

Qui ex libris quorundam de priscis illis medicis sinistrè de antimonio volunt judicare, hi rem nec ipsi tangunt: cum illi ipsi quibus fidem adhibent & ad quorum enunciata Antimonii instituunt censuram, æquè ac ipsi quoad veram & naturalem Antimonii cognitionem sint rudes atque ignorantes. Quid boni ergò, quid veri sperandum, si cæcus cæcum duxerit? Sic inepti quoque sunt illi censores qui ex Etymologia iniquè de Antimonio judicare præsumunt; voluntque dictum esse Antimonium, quasi ἀντιμβόειν, quod sumentem brevi temporis intercapedine ex viventium societate averruncet.

Egre-

Egregia ſanè Etymi ratio; neq; enim Antimonii vocabulum Græcum eſt, quod illi lingua στίμμι vocatur, ut ex Dioſcoride & Galeno conſtat, ſed eſt vocabulum τεχνικὸν proprium artificibus Chymicis, huic minerali ideo fortaſſis attributum, quod nullam in corporibus perfectis homine ſcilicet & âuro ęgritudinem aut impuritatem relinquat, ſed omne id, quicquid ſit expurget & radicitus extirpet.

Contra hanc aſſertionem ſtatim excipiunt Miſochymici dicentes, conſtare per conſenſum Chymicorumq; plerorumq; Antimonium eſſe venenoſum, & propterea in uſum medicum non recipiendum.

Sed his replicando reſpondeo; ſi vobis eſt venenoſum Antimonium, quare id priſci Dogmatici hominibus exhibuerunt crudum omninò aut tali præparatione elaboratum, quæ riſum hodiè multis movere poſſet? Et quî claſſicos Medicinæ Dogmaticæ ſcriptores Antimonium exitialiſſimum venenum eſſe credidiſſe ſtatuere poteſtis, cum id inter venena ipſi nunquam retulerint; aliam potius ipſi vim & facultatem quam venenatam adſcribentes, ut videre eſt apud Dioſcoridem, Galenum, Æginetam, Oribaſium, Actuarium & alios?

Quid adhoc? Si Dogmatici in uſum medicum Borracem & lapidem Lazuli, quæ venenis ac-

censet Dioscorides, adsciscunt & admittunt: cur Antimonium, quod ipsis venenum non est, ex agro medico erit eradicandum? Vos Misochymici tales & tanti non estis ut vestrorum caussa Antimonii usum intermittere debeant aut velint Chymiatri.

Si de crudo Antimonio prohibendo & repudiando solliciti essetis, utique tolerarent & vobis gratificarentur Chymiatri in hoc, vestrisq; subscriberent censuris; eum & ipsismet Chymiatris crudus Antimonii & nullam passi manum sagacis artificis usus valdè sit suspectus, adeò ut id venenorum catalogo, crudum dico usurpatum, jure videantur accensere.

Verum cum à vobis Misochymicis non solum crudum, verumetiam quamcunque præparationem & eám artificiosissimam quoq; ac verè philosophicam perpessum simpliciter & absolute ceu venenatum quid & ubique noxium repudietur & carpatur, injurii estis, qui Chymicorum enunciata crudi Antimonii usum concernentia ad vestras nugas & calumnias contorquere audeatis.

Imò pervicaces invidi & ignorantes meritò estis, qui contra rei veritatem & experientiæ multijugæ certitudinem laudatissima ex Antimonio remedia, cujus intimam naturam & præparationes debitas plane ignoratis, cavillari & omnibus bonis ea invisa reddere satagitis.

Sed

Sed præsentio quid sitis objecturi, quid quæso? Id dubio procul; Ab Antimonio graves & laboriosos concitari vomitus; item dejectiones non raro enormes, superfluas & periculo non vacantes: hæcque omnia evenire ab usu Antimonii non tantum crudi, verùm etiam præparati & vitrificati. Est aliquid quod dicitis; neq; enim ulla alia est culpa, ob quam aliàs jure vituperare potestis usum Antimonii.

Itane autem putatis Misochymici infame reddi posse & debere Antimonium? Dato quod vitrum Antimonii vomitum cieat, & nonnunquam enormes proritet dejectiones: num propterea venenositatis erit arguendum & ex usu medico omnia ex Antimonio parata remedia releganda erunt & rejicienda? Minimè. Hoc namque effectu solo nullo modo nullavè ratione per se argui poterit vis venenosa & deleteria, sed duntaxat vomitiva & purgatrix; ob quam si venenis quis adnumerare vellet; quid dicendum putatis de Helleboro, Thapsia Elaterio, Diagridio & aliis consimilibus ἄνω καὶ κάτω nonnunquam purgantibus, quæ symptomatum pernicie sæpissimè summè noxia extiterunt, intempestivè scilicet & immoderatè usurpata?

Ut ut autem dicta usitata vehementissimè purgent, & vomitum cieant periculosissimum, non tamen ob id sunt repudiata, sed ab anti-

quis pariter & modernis in usum medicum assumpta, & in specifica diversissimorum eorumque contumacissimorum morborum auxilia administrata. Et quid nimius per Antimonium evacuationes prætenditis? Hoc commune habet cum aliis omnibus purgantibus etiam mitissimis: ea enim, cum administrantis inscitia & imperitia, aut imprudentia intempestivè aut ultra debitum pondus exhibeantur, nonnè multoties in extremum vitæ periculum conjecerunt sumentes?

Nec est quod solum hic incussentur vehementia illa cathartica tam simplicia quā composita: initia etiā ut Rhabarbarum, sena & ipsa quoq; Manna nō sunt omninò eximenda; multò minùs composita quorundam Magistralia, qualia sunt potiones, pillulæ, boli & ipsi etiam noduli, quibus aliquando & per accidens præter hypercatharses etiam jacturam & naufragium si non vitæ saltem prosperæ valetudinis fecisse & suo damno expertos fuisse quosdam non ignotùm. Ob id ne ea venenato dici & esse concedatis? Non videtur; siquidem ea omnia utentib. ex accidenti evenire & contingere quis non videt & agnoscit? Demus autem Misochymicis, crudum Antimonium ob commistionem spirituum Arsenicalium minimè esse tutum sed summè noxium: demus etiam vitrum & flores Antimonii vulgariter præpatos ista

vomendi & purgandi vehementia nō planè esse exutos; ob id ne putatis nulla alia ex Antimonio mitia & salutaria parari posse medicamenta?

Vestra vos decipit opinio: quandoquidem etiam vitrum Antimonii in certo aliquo liquore per debitum tempus digestum adeò vim illam vomendi deponere, ut citra ullum alicujus nauseę sensum & naturæ perturbationem noxia quævis saltem per inferiora expurget & expellat norunt viri Chymiatri celeberrimi & subinde experiuntur summa cum ipsorum laude & emolumento ægrotorum.

Ut taceam ex ipso Antimonio parari posse medicamenta verè benedicta, quæ etiam citra ullam vomendi aut purgandi operationem, per solam sudoris aut urinæ prolectionem, aut quandoque absque omni sensibili commotione gravissimos morbos averruncare possunt: hoc qui credere nolit, is consulat Chymiatros præcellentissimos Quercetanum Crollium Hartmannum, Begurinum & alios; obstinatiores ubi locus erit & occasio abundè redarguet experientia.

Neq; enim mei est instituti osoribus Chymię me ulterius opponere; indigni quippe sunt, cum quibus de hisce mysteriis agāt Chymiatri. Fatentur n. se, licet concedere cogantur posse ex Antimonio parari benignissima & mitissima

ſima medicamenta, iiſdem tamen uti nolle aut aliis porrigere.

O craſſam ignorantiam non ferulis ſed fuſtibus dignam? Sed hujuſcemodi Miſochimici in ſua ignorantiæ & invidiæ limo & fimo ſeſe volutent, eidemque etiam indormiant ſi ita libet; per me utique licet. Imò ſi Aſimna ſua pellis aut ſenectus ita ipſis perplacet ut novi aliquid melioris induere recuſent, ſuaſor ipſis ſum ne eandem deponant ſed uſq; ad mortem retineant & probè curent.

Ad Antimonium reverſus ex ejus crudioris & præſertim vitrificati uſu ſi malus aliquando ſubſequutus ſit eventus & nonnulli etiam penitus ſublati: vultis ne propterea ſtatuere Antimonium ex toto & ſimpliciter eſſe rejiciendum? Malè ſecundum ſana mente prædicor.

Quod enim ex accidenti contingit, id non per ſe adſcribendum eſt rei alicui: ſic quod aliquando ex uſu Antimonii intempeſtivè aut immoderatè adminiſtrati, mortem oppetierint ægri, id antimonio per ſe non eſt attribuendum, ſed per accidens contigiſſe notandum, cum videlicet aut negligentius fuerit præparatum aut paulò majori quàm decet, doſi exhibitum & quidem ab imperito improvido aut temerario quodam agyrta vel impoſtore, minimè verò à perito quodam erudito & circumſpecto medico. Impoſtores namque

teme-

temerarios & nundinarios illos agyrtas, [qui Antimonii haut ritè vitrificati, non raró usu temerario, dum id morsulis ut vocant stomachicis, aut pulveribus commiscent, alio vè modo indiscretè & promiscuè exhibentes cæmiteria tumulis quandoque replerunt] hîc incusandos arbitror, minime vero Antimonium ipsum: Id enim per se nullam infert noxam nisi per abusum & ex accidenti, quemadmodum etiam alia Cathartica omnia per se alias tuta & salutaria.

Verè enim Herophitus omne id, quod ab imperito & temerario medico ægris offertur comparare videtur gladio acutissimo in manibus insanientis: ubi non gladius per se ulli noxam infert, sed ex accidenti per manus scilicet insanientis eo abutentis.

Et sanè hujuscemodi impostores nobilissimum hoc minerale adeò infame reddiderunt, ut multi etiam nomen ejusdem detestari soleant & ipsimet carnifici aut saltem cuilibet potius medicastro, aut vetulæ, quam Chymiatro nobilissimam Antimonii partem propinaturo, corporis & sanitatis suæ curam committere & concredere malint.

Quod si Antimonium ob perturbationem illam, quæ aliquando ex usu vitri Antimonii contingere solet, esse debeat suspectum; quid obstat quò minus usitata purgantia & præser-

tim vomitiva eandem ob rationem rejici debeant: Ea enim non minori certè molestiâ & perturbatione sumentes afficiunt, præsertim ubi dantur naturis ad vomendum difficilibus, insuetis aut ineptis, quam afficere solet Antimonium.

Nec vos tuetur, Misochymici, quod objicitis, Antimonium ideò non esse usurpandum, quod sit ex familiâ mineralium & inter ea haut postremum, esseque idcirco naturæ humanæ maximè contrarium. Audio quidem à vobis Misochymicis hæc dici; sed quibus id probatis rationibus? Ne autem quis putet, vos absque ratione quid enunciare, quod tantos philosophos dedeceret, dicitis mineralia naturæ humanæ contrariari ob duplicem causam loci scilicet distantiam, qua longius à nobis absunt quam plantæ & animalia; nec non ob specificas differentias, quibus absunt longissimè. Erudita sanè & subtilis argutatio ex Riolani olim contra Chymicos censura iniqua scaturiens. Attendite, quæso; sol & cœli à nobis & loco & specificis etiam differentiis longius absunt quam alia; Ergò per Vos, Sol & Cœli nobis erunt contrarii. Si argumentum procederet, quidni viperæ, scorpiones, bufones, araneæ, cerebrum cati & plura alia venena naturæ nostræ essent familiariora quibusvis antidotis & Bezoarticis medicamentis? Pudeat vos

ludi-

ludicris ejuſmodi & futilibus ratiunculis veritatem & nobilitatem Chymicam velle oppugnare,& dehoneſtare:ridendę potius ſunt contentiones veſtrę&rationes tam pueriles,quam ut Chymiatri vobiſcum hac de re digladientur Quod ſi adeò mineralia vobis ſunt infenſa & ſuſpecta;quare veſtri ordinis & ſenatus quidam ſe cum ſucceſſu & ſalute humani generis vim & efficaciam extrahere gloriantur non tantùm ex vegetabilibus,ſed etiam ex aliis quæ terræ viſceribus perinde ac nativi fœtus continentur? Quid enim aliud per nativos terræ fœtus in ejuſdem viſceribus contentos intelligant, quam mineralia & metalla,divinare non poſſum. Sed vos cum veſtris nugis jam relinquo; ſufficit, Antimonium debite præparatum & *εὐστόχως καὶ κατὰ λόγον* adminiſtratum omni noxa prorſus carere: imò id per ſententiam quoque ſaniorum Dogmaticorum ex ordine venenatorum eſſe excipiendum & eximendum, inque uſum medicum omninò recipiendum, hactenus pro inſtituti ratione demonſtraſſe.

Explicato uſu Antimonii in genere;nunc in ſpecie demonſtrandum eſt, extracta & parata ex Antimonio remedia in curatione variorum, eorumq; deploratiſſimorum morborum infinita alia vulgaria ſubſidia multis poſt ſe ſtadiis relinquere.

Plura

Plura quidem & varia eaque præstantiſſima diverſos parare ſolitos medicamenta notiſsimum eſt; ſcatent iiſdem ſcripta edita à Chymicis recentioribus æquè ac antiquis. Ut autem confuſio devitetur, nec tædium lectori benigno creetur, ex multis pauca ſeligam, ac ſuccincto ſermone vires eorundem ſubnectam.

Cæterum inter omnes ſcriptores medicamentorum Chymicorum & eos vetuſtiores poſt Baſilium Valentinum Monachum ordinis S. Benedicti, quem ducentis abhinc annis aut circiter vixiſſe ſcripſit Quercetanus in ſuo Alexicaco c.7. fol. mihi 416. Myſteriarcha Paracelſus omne punctum tulit.

Ac Baſilius quidem Antimonio & inde paratis medicamentis plurimum tribuit, & peculiarem de iiſdem conſcripſit librum, quem Currum Triumphalem inſcripſit, editum ſed mendis quam plurimis adulteratum à Tholdenio.

Quid enim non præſtat quinta Antimonii ab ipſo deſcripta? Eam id omne præſtare, quod medicus & ægrotans ad curationem ſalutariter perficiendam neceſſarium deſiderari poſſit, adfirmat: imò vires hujus Quintæ Eſſentiæ viribus auri potabilis æquiparat.

Quid dicam de Magiſterio, Arcano, Elixyre, & aliis pluribus ex Antimonio paratis? Tan-

Tantum iis attribuit, & tantis eadem laudibus concelebrat, ut etiam vires in abigendis plerisque affectibus præter naturam ad miraculum stupendas edere & præstare adstruat.

Quanti præterea Theophrastus æstimet Antimonium & inde debitè parata medicamenta, testantur ejusdem Encomia, quæ de Antimonio passim scriptis suis inseruit: ne autem omnia huc transcribendo prolixior sim & fastidium pariam Lectori, sufficiat unum atque alterum saltem allegasse.

Is ergò ne quid in genere de viribus Antimonii dicam, Primo Enti Antimonii tantas inesse vires ait, ut omne id quod contingit transmutet ex seipso & ex propria sua natura, quæ ab humore radicali enascuntur separet, & ex fundamento corpus renovet. Cum enim materia Antimonii sit spoliativa & mundificativa, cujus proprietatis ratione corpus mundat & expurgat omnemque ejus impuritatem non secus absumat quam ab eodem aurum depurari videmus, ut loquitur lib. 6. Archid. de Magisteriis. Nam sicut Antimonium finit aurum, sic eadem ratione ac forma finit corpus; quod habet idem lib. 3. de vita longa c. 6. In illo enim est Essentia, quæ nihil impuri cum puro confundi sinit. Mundat seipsum unà cum reliquis quæ immunda sunt: quod si nihil omninò sani adsit immundum corpus in mun-

cum

dum transformat; quod probat per curam Lepræ ex Antimonio, quam docet l.6 paragr. c.4. pargr. 2.

Et hac consideratione idem l 7. de transmut. rer. nat. refert Antimonium inter ea, quæ tingunt corpora humana & ad summum sanitatis gradum perducunt, expellendo scilicet omnes morbos, deperditas vires & colores restituendo, atq; hoc modo hominem penitus restaurando & renovando.

Quid de Quinta Antimonii Essentia dicam? Hanc idem l. de renov. & restaurat ait repurgare corpus à lepra, ut expurgat Aurum infusione, & non relinquere in eo impuri quicquam, sicuti nec in auro.

Quid præterea utilitatis summè admirandæ præstent alia ex Antimonio parata remedia, Magisterium, Tinctura & oleum aliaque, sæpissimè deprehendet, qui scripta tanti viri evoluere & attentè perlegere non neglexerit: passim enim testatur Antimonium [quod spagyrico præparatum intelligit, minimè crudum aut crasso rudique modo saltum aut lotum aut vitrificatum] omnes morbos tollere & vires amissas restaurare ac renovare.

Nihil jam dico de Rogerio Baccone, oleum seu Tincturam suam Antimonii in cœlum usque sublevante; nihil etiam de aliis ex vetu-
stio-

ſtioribus quibus in frequenti uſu fuêre medicamenta ex Antimonio parata.

Ex recentioribus plurimis doctiſſimus ille Quercetanus de tota medicina & arte præſertim Chymica optimè meritus, inter alia duodecim ex Antimonio parata remedia proponit in Tetrade ſua, quæ omnia ipſe aliquando ſuis manibus paravit, compoſuit inque uſum feliciſſimè retulit; & propter ſummam vim & virtutem medicinalem unumquodque tali inſignivit, qui cujuſque virtutem maxima ex parte inſinuet & ſignificet. Quod enim titulo Panaceæ exhibet, id inſtar univerſalis cujuſdam medicinæ omnes ægritudines vel de ploratiſſimas etiam curat, non quidem unica ſolummodo operandi ratione, ſed modo per ſudores, aliquando per urinas, nonnunquam per ſeceſſus interdum & ſæpius per inſenſilem operationem ſola ſcilicet humorum correctione, inſtauratione ac corroboratione Balſami radicalis.

Antidotum πολύχρηστον ad ſanguinis maſſam emundandam utiliſſimam ut & calorem nativum inſtaurandum & augendum, viſciditates item ventriculi abſumendas ac corpus omnibus recrementis expediundum adfirmat.

Sic

Sic Antidotus παντάγωγος ad alterandum vacuandum, aliosque curationum scopos complendos convenientissima est medicina, præsertim ad evellendam Cachexiarum radicem & inde ortos morbos, Icterum scilicet & Hydropem averruncandos.

Quid putatis tribuendum antidoto ζωηφίλῳ sic dictæ, quasi sit amica vitæ? Est hæc ut idem loquitur verissimè, verus vitæ Balsamus instaurans redicalem balsanum & corpus humanum hoc modo restaurans & renovans: non quidem novam essentiam in homine generando, ut loquitur Mysteriarcha ʃl. ʃ. Archid. de Mercurio vita, sed quintam essentiam adhuc residuam incorruptam conservando. Quod dum præstat, fit, ut postea novæ quasi virtutes emergunt, spiritus sopiti excitentur roborenturque animales pariter vitales, & naturales: imò quia hic vitæ Balsamus impurum omne à spiritu vitæ removet, fit aliquando ut ungues pedum & manuum decidant & alii succrescãt, canities omnis tollatur, juventusque ita confirmetur, ut senectus non amplius canos possit producere.

Jure ergò optimo hæc medicina talis tantusque dicitur thesaurus, ut nusquam in toto orbe, si Astrum Solis & Mercurii excipiatur, par occurrat; Imò tantam eam esse contestantur

tur Chymiatri penè omnes, ut laudes ejus ac virtutes admirandæ deprædicari à nullo satis possint.

Nec contemnenda est Antidotus σωτήριος, quasi salutifera, servans & liberans à quam plurimis gravissimisq; morbis, Phthisi potissimũ, dyspnœa, Asthmate, pleuritide peripneumonia & aliis. Suam quin etiam laudem promeretur Antidotus λυσιπύρετος in profligandis & extinguendis omnis generis febribus, sive sint intermittentes sive continuæ eæque vel benignæ dignæ sunt quas habent, titulis; adeò ut utra verò dicatur Θεόδοτος quasi à Deo data, altera Θεόπεμπτος, tanquã donum à Deo hominibus cælitus demissum: sunt enim verè manus Dei ad curandos generaliter ferè omnes morbos vel deploratissimos.

Quid deniq; præstent reliquæ antidoti, videat lector apud præfatum sagacissimum Quercetanum: quis enim poterit omnia referre, & ab aliis sufficienter tradita huc transcribere? His ergò, si potestis, paria producite, & per experientiam vestra omnia tantarum esse virium demonstrare, Misochymici: & jure postmodum vobis cedent & Chymica vestris postponent Chymiatri. Agite & ex intimis dispensatoriorum recessibus atque angulis conquirite

& similia quædam, atq; vel unicum saltem depromite: parati sunt Chymici palmam vobis porrigere. Quod si nulla habetis; quare quæso hæc ex Antimonio & alia Chymica adeò superciliosè fastiditis, protervè contemnitis, & rabiosè calumniamini?

Sed præstat his relictis ad institutum regredi, atq; in gratiam favitorum artis Chymicæ unicum atque alterum ne ἀσύμβολ☉ planè sim ex Antimonio remedium, subnectere lubet. Non quidem quomodo vitrum sit parandum, neque quomodo flores Antimonii extrahendi, aut alia vulgo nunc usitata remedia exinde concinnanda, cum de hujusmodi sat eleganter & prolixè scripserint Chymici præcellentissimi Quercetanus, Crollius Beginus, Duncanus, Evonymus, & alii, ad quos lectorem, ut ærumnoso nimium labori describendi & transcribendi supersedeam, remitto: Sed quæ non ita quibus trita & obvia sunt.

Illud de vitro Antimonii obiter dictum volo, eò plerosque Chymiatrorum sagaciorum non uti, quod ipsis non sit satis exutum nocentibus & vehementes istas commotiones causantibus spiritibus mineralibus: quo tamen non obstante in magna hodie quantitate paratur, ad nundinas deportatur & ab agyrtis chirurgis, barbitonsoribus balneatoribus & aliis ejus farinæ medicastris, in fre-

quenti

quenti est usu, sæpeque cum fructu at non rarò cum damno etiam sumentium propinatur. Interim id studio & singulari elaborationis artificio, quod supra etiam tactum, deduci & commutari potest in medicamentum blandissimum, per solum secessum citra omnem aliam molestiam & conturbationem purgans. Sic quanquam usum Vitri cum videlicet à medico circumspecto & rerum gnaro tempestivè in usum adsiscitur non penitus & simpliciter contemnam: ita temerarium ejus usum licet quandoque proficuum probare nullo modo possunt; Ideoque circulatores illos nundinarios, & omnes alios rudes & ignaros Chymiæ, expertesque solertiæ eruditionis & prudentiæ medicæ ab hoc meo discursu & Antimonii patrocinio procul exulare jubeo.

Ne autem longis verborum ambagibus tempus & cartam inutiliter insumam, brevissima sermonis serie communicabo descriptionem & usum Antimonii Diaphoretici simplicis, essentiæ seu Tincturæ Antimonii, olei dulcis & Balsami ejusdem.

Ac Diaphoreticum hoc quod attinet, non est illud, quod Crollius exhibet, quodque ipsi constitit ducentis ferè thaleris, & præter Antimonium Mercurium quoq; & aurum re-

cipit; sed simplex illud est & à Phædrone ab effectu vocatur Antimonium Narcoticum & Diaphoreticum. Basilius pulverem Antimonii album à forma sua ultimâ in quam redigitur appellitat: cujus etiam meminit Begirinus in Tyrocin. Chym. c. 12. sub titulo Antimonii Diaphoretici.

Modus parandi, quo ego usus sum talis est; Accipe Antimonii Ungarici optimi, quantum vis, fere id crassiusculè, cui adde salis nitri puri crasse contusi duplum; ambo invicem commisce: de hac mixtura tigillo fusorio, aut convenienti vase inter prunas candentes in furno ventoso candefacto impone sensim cochlear, quo facto statim fumus concitatur & strepitus; eo autem cessante, quod detonare vocant artifices, mox aliud cochlear ejusdem mistura imponatur, idque toties repetatur donec omnis materia tigillo imposita fuerit & consumta. Post da ignem fusionis & liquefactionis ad quadrantem horæ, ac effunde in ollam firmam aqua calida semiplenam: aut, quod tutius est, propter periculum læsionis alicujus sensim per cochleare ferreum aut simile instrumentum candentis & ferventis hujus materiæ partem post partem immitte ollæ.

Si quid sigillo adhæserit illo confracto frusta ejus eidem ollæ injice, ac aqua calida adhærentiam illam ablue & frusta ollæ abjice. Post

fac

ſic ebulliat aqua cum injecto Antimonio, ac ubi conſederit antimonium, effunde ſenſim aquam illam ſalſam claram, aliamque puram affunde, toties repetendo hunc laborem donec abſtracta omni ſalſedine, pulvis antimonii inſipidus ferè guſtui occurrat. Exiccato huic Antimonio tantundem adde ſalis nitri, & operare ut prius, repetendo etiam tertiò, ſi non ſatis albus fuerit pulvis Antimonii, omnem modo doctum laborem. Ubi verò altiſſimus evaſerit, & omnis abluta ſalſedo fuerit, Antimonium tuum album fere ſuper marmor ſubtiliſſimè, ac affuſum ſpiritum vini alcoliſatam ſuper ipſum ter ad minimum accende ac totum conflagrare permitte: Et ſic paratum erit ſimplex hoc Antimonium Diaphoreticum.

Baſilius, poſt trinam calcinationis, ut ſic dicam, operationem peractam, edulcoratam & exiccatam materiam ad digerendum cum ſpiritu vini optimo digerit in pelicano, aut circulatorio, aut cucurbitâ per integrum menſem; poſt effuſo hoc ſpiritu digeſtivo alium affundit, & accenſum conflagrare permittit, novies aut decies hoc repetendo: Deinde lento calore deſiccat; poſt per viginti quatuor horas ſeu diem naturalem reverberat; in loco humido reſolvit & tandem lento calore deſiccat.

Vires hujus quam plurimæ ſunt, expertæ in corporibus fæda ſcabie & pruritu poſt debitè purgatum corpus infectis quibus plurimum hujus uſus profuit, adeò ut ſcabies illa poſt eius uſum ex toto evanuerit & abierit. Feliciter quin etiam per Dei benedictionem, eo uſus ſum in febribus intermittentibus, & continuis etiam putridis Epidemiæ cujuſdam malignæ inſtar hîc graſſantibus.

Adhæc in viſcerum obſtructionibus contumaciorib reſerandis ſuũ officiũ egregiè præſtitiſſe aliquoties cognovi & expertus ſum In lue venerea quoque non inutiliter exhibetur; & non eſt dubium, quin præter aſſignatas, alias quoque obtinat vires, quas uſus & experientia in futuro ſuggeret & edocebit.

Doſis ejus eſt à ſeptem granis ad undecim & quindecim, pro ſumentium ætate, ſexu, & conſtitutione, proque affectus ipſius exigentia, in & cum liquore aliquo idoneo & congruo atque affectui præſertim, cujus medendi gratia adhibetur, appropriato. Aliquando & præſertim in reſerandis obſtructionibus certam ejus portionem, vino ardenti, vino ſimplici, vel medicato, aut alteri cuidam liquori infundere, & de hac mixtura prius benè adinvicem agitata alternis diebus cochlear unum aut duo, pro re nata, aſſu-

assumere jussi; & nunquam non salutarem ejus usum sum expertus, & nunquam noxium deprehendere licuit effectum: quem ferè semper, præsertim si manè quis in lecto eo usus fuerit per sudoris proruptionem exeruit; in quibusdam per insensibilem ferè operationem; nonnunquam verò aut vomitionibus aut dejectionibus ulli alicui molestam aut aliquo pacto noxiam fuisse hunc medicinam deprehendere mihi licuit.

Sed de hoc satis; ad tincturam & Essentiam Antimonii progredior: ubi primò monendum est, me promiscuè uti vocabulo Tincturæ & Essentiæ.

Licet enim diversa sunt nomina unum tamen & idem denotant & significant partem videlicet Antimonii præstantissimam, quæ sola omnium operationum & effectuum salutarium medicinalium in Antimonio causa est, quam aliàs animam dicunt. Hujus ergo virtutis & efficaciæ ratione dicitur Essentia, ut quæ vim & virtutem medicinamque solam & omnem obtineat & exerat: Est enim Essentia ipsa natura, virtus & efficacia atque medicina subsistens in mixto; imò vita & proprietas ac specifica forma illius rei, à qua extrahitur; seu est sola virtus specifica formæ adhærens.

Quinta autem essentia dicitur comparatiuè ad cœlum; sicuti enim cœlum est præcipua causa efficiens universalis vitæ & conservationis omnium rerum: Ita quoque hæc essentia, vitæ & actionum omnium in eo cui inest, mixto; hac enim extractâ reliquum corpus mortuum planè est & nullius amplius virtutis.

Ad hæc sicuti cœlum est quid separatum ob elementis purissimum subtilissimum & suo modo incorruptibile: ita quoque hæc quinta essentia secundum Mysteriarcham l. 4. Archid. est materia quæ corporaliter extrahitur ex omnibus mixtis & ex iis in quibus vita est, separata ab omni impuritate & corruptibilitate seu mortalitate, subtiliata subtilissimè & segregata ab omnibus elementis.

Dicitur autem Tinctura partim quod sub colore rubeo extrahatur & in conspectum prodeat; partim verò quod sicuti per universalem illam philosophorum Tincturam imperfecta metalla tingendo in perfecta transmutantur, ita quoque per hanc Antimonii essentiam corpora hominum ægrotantia insana, & sic ex pessimo in optimum & pristinum sanitatis statum transmutentur.

Ut ut autem vocetur hoc loco parum refert; neque enim de nominibus cum aliquo contentiones & litem movere & fovere animus est: latè me hisce appellationibus hoc lo-

co

eo uti fateor, &, si ἀκρίβεια sit adhibenda, esse aliquid discriminis inter Quintam Essentiam & Tincturam apud Philosophos Hermeticos, minimè ignorare. Potius, quod pollicitus sum subjicio quomodo vim hanc summè medicinalem quis ritè possit, & per quod spagyricæ operationis artificium: dicturus paucissimis de usu & viribus ejusdemmet debitè præparatæ.

Modos autem parandi Quintam hanc Essentiam seu Tincturam Antimonii apud spagyros & artifices Hermeticos scriptoresque Chymicos invenire licet sagaci & attento Lectori varios & diversos, ad unum tamen scopum collimantes omnes: possunt enim esse plures vitæ ad unum locum ducentes, quarum tamen aliæ tutiores & breviores sunt aliis.

Sic Paracelsus suum exhibet modum Quintam Antimonii Essentiam parandi l. 4. Archid. sub modo generali extrahendi Quintam Essen- ex Marcasitis: suum quoq; habet Basilius, suum Rogerius Bacco, suum Penotus, suum Quercetanus; & quis dubitat alios proprios quoq; & peculiares habere artifices? Inter omnes Basilius laudem meretur & palmam aliis præripit: hic in repetitione lapidis sic scribit; Essentia Quinta Antimonii summa est medicina, & nobilisima atq; subtilisima pars, quę in Antimonio reperitur; Estq; quarta pars medicinæ uni-

verſalis. Præparatio ejus ſit ſilentio involuta; doſis ejus eſt pondus trium granorum: quatuor inſtrumenta requiruntur ad ejus præparationem; quintum eſt furnus, in quo Vulcanus habitat; regimen ignis ſuggerit ordo præparationis.

Quibus verbis & quaſi ſub ægnimate deſcribit præparationem quintæ Eſſentiæ Antimonii: & mox ſequentibus fideliter admonet medicos, ut medicinam in eo quærant in quo lateat, & deprehendatur viribus & efficacia maximè præſtare.

Agite nunc Miſochymici, qui cum ſucceſſu & ſalute hominum tam egregia extracta vos paraſſe jactitatis, & ex Antimonio, quod revera nativi fœtus inſtar in terræ viſceribus continetur & vires habet incredibiles vobis omnibus in abigendis morboſis inſultibus, quintam hanc extrahite eſſentiam veſtro modo, cum Chymici labores vobis adeò ſint ſuſpecti. Carbonum jacturam tanti non æſtimate, ob quam ſit intermittendus labor hic circa hanc Antimonii præparationem: tantus eſt enim hic theſaurus, ut carbonum jacturam & tædia laborum abundè recompenſare poſſit.

Sed audio vos mihi objicere, Baſilium nimis obſcurè hanc præparationem propoſuiſſe: Vobis conſentio, philoſophum obſcurè loqui quidem; at non ita ut à Chymico artifice nequeat

queat intelligi vobis regero. Chymicis n. quatuor illa instrumenta probè cognita sunt, & à Vulcano, quem vos adeò contemnitis fumi osores maximi, quem Vulcanus vobis impetu obviam propellit, ignis regimen didicerunt convenientissimum.

Ut autem vobis benè uelle Chymiatros cognoscatis, ex ipsomet Basilio dilucidiorem vobis communicabo descriptionem præparationis quintæ essentiæ ex Antimònio, per quam Ænigmatica prior descriptio declaratur.

Primo ergò recipit Vitrum ex minera antimonii per calcinationem, quæ ex quatuor illis instrumentis primum est, paratum; terit id minutissimè ac extrahit eum Aceto, quod per distillationem est confectum abstracto aceto & edulcorato Antimonio affundatur spiritus vini optimus & purissimus, & secundò extrahatur: hæc secunda cum spiritu vini extractio degeratur in pelicano hermeticè clauso per integrum mensem, quæ digestio est alterum operationis instrumentum, per quam etiam perficitur tertium quod est coagulatio essentiæ Antimonii in corpus separatum ab aliis, quod tandem per quartam destillationem scilicet in forma olei per se absque omni additione ascendit & transit per alembicum.

Neque

Neque hoc assequitur spagyrus sine singulari artificio & moderamine ac regimine ignis, in quo vulcanus quinti instrumenti dominus, jure omni est Magister & præceptor Chymicorum omnium; præsertim cum in lapidem pellucidum tandem & igneum est reducendum oleum quod per destillationem accipit artifex rubicundissimum odoris gratissimi & saporis dulcissimi.

Interim non eo inficias usum genuinum & legitimam administrationem haut abs re peculiari industria & sagaci ingenio præditum virum requirere, & ad quintum instrumentum suo modo posse referri: quod & facit ipsemet Basilius in curru triumphali, ubi quintæ essentiæ præparationem dilucidiorem suggerit & exponit. Hæc autem Quinta Essentia, ut de usu ejusdem nonnihil quoq; subnectam, ea omnia præstat quæ medicus ad curandos morbos desiderare potest & exoptare; tollit enim Melancholiam quamvis, consumit omnes superfluitates noxias, indeque pullulantia symptomata sedat & abigit ad instar ignis omne pravum discutientis & consumentis. Imò omnia ea præstat, quæ præstare potest Aurum potabile; præsertim ubi debita operatione, quam idem Basilius describit, sulphuri huic genuino Antimonii conjunctus fuerit & unitus præcipitatus ex proprio Mercurio. Tunc enim

enim verè nomen Tincturæ promeretur, ut quę sit subtilissima pars Essentiæ Antimonii, & astrum sui cœli specificum, ut loquuntur spagyri, arcanorum more elaboratum.

Quod si fortè Basilii hic processus vobis minimè arrideat, & alium desideretis, vobis, ut videatis candorem & benevolentiam, hac in parte lubens gratificabor, & communicabo hautgravatim oleum Antimonii dulce, quod priscis dictum fuit secretum secretorũ. Gemma Gemmarum, sulphur physicorum, nec non ignis secretissimus.

Parandi modus hic est; Recip. Mineram Antimonii, pone in crucibulum & subjice ignem, hac cautione, ut quasi jam fluere incipiat: Igni exemptum per se refrigescat Antimonium; refrigeratum probè contundatur in mortario & contusum terendo redigatur in pulverem subtilissimum & ferè impalpabilem. Huic in vase apto reposito affundatur acetum proprium sæpius destillando prolicitum: ponatur in loco calido & humido per tempus debitum ad extrahendum cottidiè fortiter agitando, donec acetum evaserit rubeum; hic labor toties repetatur, quousque omnis rubedo fuerit extracta, & acetum non amplius tingatur. Extractam rubedinem omnem cominisce & in cucurbita per Alembicum juncturis optimè lutatis destilla lento Balnei mariæ calore &

igne:

igne: debito adhibito regimine & moderamine adhibito adſcendit primò Acetum, poſt, quod ſummam parit delectationem & admirationem videntibus per roſtrum alembici deſcendent venulæ Mineræ Benedictæ per guttas ſanguineas vel rubeas; quæ in vitro mundo diligenter aſſeruari debent.

Hunc benedictum liquorem Chymici vocant quintam ejus Eſſentiam, quam philoſophi nunquam apertis verbis prodiderunt, ſed ſummo ſtudio ænigmaticis involucris palliarunt. Unde factum arbitror, quod multi in ea conquirenda multis laboribus ſeſe commacerarunt & ſumtus fecerunt maximos, at ex his non multi ad veræ Quintæ hujus Eſſentiæ & olei hujus benedicti poſſeſſionem pervenerunt.

Multi enim aberrarunt in electione materiæ, dum loco Mineræ, in qua ſpiritus mineralis ortui ſunt viciniores ideoq; copioſiores & vegetiores, quàm in Antimonio ignis vim experto & ex minera ſua prolicito, quod inquam loco mineræ perperam ſumſerunt: quidam verum menſtruum ad hanc eſſentiam extrahendam ignorarunt, &, cum mentionem faciant philoſophi, Hermetici aceti, tales acetum commune deſtillatum adhibuerunt, cum philoſophi tamen non intelligant acetum illud quod mulieres poſt fornacem con-
ficere

ficere solent, sed naturale suum & proprium citra extranei alicujus additionem ex seipso confectum, quod pauci noverunt. Et non immeritò, quia ferè à plerisque subticetur modus acetum ex Antimonio per se elicendum, & si qui illius faciunt mentionem adeò obscurè & scrupulose loquuntur, ut quid inde colligas quidvè concludas ignores ipse.

Sic philosophorum ex antiquis quidam horrido quidem & impecto stylo, at verissimè interim loquitur de hoc aceto cum ait; non est melius acetum quam extractum ex vero & naturali montano metallino: hoc autem acetum vocatur à Aristotele Chymico plumbum leprosum, & Antimonium suum & ignis secretus, estque ad extractionem quintæ essentiæ Antimonii nobilissimum, scias tamen pergit quod superiora inferioribus semper sunt meliora; Res enim cœlitus condensatur coagulatur & fixatur.

Tale acetum parat Basilius ex Antimonio cum aqua pluviali destillata; verum, ignoscant manes tanti viri, per se citra omnem additionem alicujus liquoris id parari potest, & per additionem proprii salis reddi radicatum, ad hoc opus convenientissimum: interim illud Basilii non rejicio quasi sit inutile, cum sciam illud quoq; feliciter in hoc

hoc negocio adhiberi; suspicor Tholdenium hac in parte minus attentè rem considerasse & oscitanter transcripsisse.

Non enim dicendum est Basilium acetum hocce, per se quod ex Antimonio prolicitur, ignorasse; cum tot labores Antimonii præparationibus impenderit, & nobilissima inde arcana elicuerit. Cæterum ut hæc stibii essentia in salutares usus adhibeatur non statim ut est præparata, est usurpanda, sed per debitum tempus putrefacienda; tum enim operatur arcana, & vires exerit, eaque præstat quæ in præcedentibus adsignata sunt, quæque passim ab Authoribus Chymicis Quintę Essentiæ, Tincturæ & oleo Antimonii attributa leguntur.

Et ut paucis omnia dicam: hoc dulce oleum Antimonii sive quinta Essentia aut tinctura uniuscujusque morbi materiam absumit penitus, atq; corpus impurum ita transformat, ut ad summam perfectamque ejus sanitatem nihil omnino deesse videatur: modo id sit debito artificio præparatum & à perito prudentique medico convenienti dosi & quantitate nec non in congruo aliquo vehiculo exhibeatur.

Restat nunc, ut subjiciam Balsamum Antimonii, quo in externis casibus felicissimè usus vidi & novi nonnullos: quod ubi præstiterim huic

huic sectioni quartæ ultimam manum imponam.

Inveniuntur sanè plurima medicamenta ad mala externa vulnera præsertim & ulcera etiam apud Dogmaticos, quæ præter alia mineralia Antimonium haut raro recipiunt: & Chymiatri idem minerale in consimilibus casibus externis plurimi fecerunt, parando exinde cum aliis junctis olea & Balsama vulneraria. Horum nonnulla habet Müllerus in mysteriis suis Chymicis l. 3. c. 2. Basilius in curru triumphali præter Balsamum rubeum Antimonii per se paratum, quinque alia per compositionem & additionem aliorum, olea describit; quorum omnium usus in externis illis casibus non potest non esse salutaris & proficuus, quemadmodum manifestum esse potest illi qui ingredientia consideraverit & quæ sit eorum natura vis & proprietas probè intellexerit.

Penotus Balsamum Antimonii exhibet paratum per menstruum Terebinthinatum: alii quoque alios habent modos parandi Balsama ex Antimonio, quos huc consarcinare velle tædiosum nimis esset & laboriosum; sufficiat descriptionem Balsami Antimonialis ex Basilio huc consignasse, cujus usum in ulceribus vetustis & curatu difficillimis salutarem multos novi expertos. Ea autem sic habet; Recip.

Argentum vivum ſublimatum puriſſimum & Antimonium ad partes æquales, terantur commiſceantur ac deſtillentur per retortam firmiſſimam, ter laborem hunc repetendo: hoc oleum rectificetur per ſpiritum vini digerendo ad debitum tempus, evadit rubeum inſtar ſanguinis, quod primo eſt album & coagulatur inſtar butyri. Hoc oleum ſeu Balſamum in caſibus & malis externis deſperatis, lupo, cancro, fiſtulis & conſimilibus ulceribus exedentibus & corrodentibus facilè palmam aliis omnibus præripit, & talia præſtat, quæ id parans & ritè uſurpans per experientiam annotare poterit & veriſſima, quæ dixi, deprehendere.

Et hæc de Antimonio quoque pro inſtituti & occaſionis ratione dicta ſunto: plura forſan & ſplendidiora alio tempore, Deo vitam & vires ulterius elargiente, per datam occaſionem communicabuntur.

SECTIO

SECTIO QUINTA de

VITRIOLO.

AD finem quoq; perducto discursu Chymiatrico, quod spectat usum medicum mineralis illius quod vulgo. dicitur Antimonium: restat nunc, ut brevibús quoq;, quid utilitatis præstet in medicina Vitriolum & quę elargiatur medicamenta spagyricè eruenda discurrendo subjiciatur. Nunc autem ero eò brevior, quò fuerim in præcedentibus fortè prolixior, nihil interim, quod ad dignitatem, utilitatem & necessitatem Vitrioli dictu videbitur necessarium omissurus.

Ac Vitriolum quod attinet, ut ratio nominis innotescat, Græcis dicitur χάλκανθος quasi χαλκȣ̃ ἄνθος, cum tamen flos æris aliud revera sit & diversum quid à Vitriolo: priscis latinis appellatur atramentum, eò quod atrum præstet colorem; & propterea ad tingenda coria olim id usurpabant sutores, unde etiam Atramentum sutorium legitur dictum. Hodiè pannorum & linteorum tinctores eo utuntur ad lintea & pannos nigro colore tingendos: imò ad conficiendum atramentum

scriptorium necessariò adhibetur ob hunc colorem nigricantem.

Quibusdam dicitur chalcitis; at chalcitis & chalcanthum revera differunt etiam secundum ipsummet Galenum l. 9. de simp. Med. facult. c. 48 & 51. Inde, ut hoc obiter saltem attingam hallucinare meritò doctis videntur, qui usitatum illud Emplastrum Diachalciteos vocant, cum potius dicendum sit Diachalcanthi ob basin, quæ est vitriolum quod Græcis χάλκανθος appellitatur.

Seplasiarii & officinæ hodierno tempore communiter vocant vitriolum; qua etiam appellatione utuntur spagyri: Germanis dicitur Victril atque usitatiori nomine Kupfferwasser. Verum utut appelletur, perinde est, nec ego plurimum de nominibus sum sollicitus, id potius curæ mihi erit, ut quidnam sit, quotuplex, & quas elargiatur medicinas, breviter at sufficienter indagetur.

Reponitur autem Vitriolum inter genera salium, ita quoque docente Paracelso lib. 2. de morb. miner. tr. 3. c. 1. Ubi Vitriolum speciem salium esse asserit: Idem l. 4. philos. c. 6. ait; Vitriolum ex salibus scaturire; imò l. de reb. nat. c. 8. ipsum Vitriolum salis nomine appellat cum ait. Natura generat sal quod dicitur Vitriolum; neque est sal vulgare & commune, sed participans de natura metallica, adeò ut asse-

asserente eodem Paracelso vitriolum in se contineat venerem seu cuprum, & in id transmutetur: cui correspondet & suffragatur experientia, per quam videmus & docemur venerem in sese habere vitriolum admodum pulcrum & utile, quod certo artificio extrahere norunt spagyri sagaces & experti. Neq; hoc solum, verum etiam martem videndũ exhibet, adeò ut etiam per Vitriolum Mars paucis horis in venerẽ possit converti: quod prisci sapiẽtes per amores veneris & Martis dubio procul insinuare voluerunt, quemadmodum notat sagacissimus Quercetanus in tetradis suæ c.30.

Sed de his loco plura non addo; fortè alibi fusius discurrendi de hoc negocio concernẽte transmutationẽ metalli unius in aliud sese offeret occasio: ad medica potius intenti, id juvat indagare, quid nẽpe utilitatis præstet & emolumenti Vitriolum in usu medico, & quæ salutaria inde eruenda sint medicamenta, quibus ægrotantibus medicus possit tutò citò & jocundè subvenire & medendo prodesse. Neq; mihi vitio quis vertat, quod de speciebus vitrioli hîc nihil addam, quod tamen ordinis instituti ratio postulare videtur: quandoquidem me id negocii studio hîc prætermisisse sciat, cum infra, ubi de medicinis ex Vitriolo parandis verba sum facturus hujus rei recor-

daturus sim. Ne ergò idem bis dicatur & nani *τάυτολογία* aliquod lectori benevolo creetur fastidium confido fore ut me excusatum sint habituri omnes candidi.

Sanè ut Dogmaticorum placita d Vitriolo primo adducam, Gal. libr. 9. de simpl. med. facult. c. 48 & 51. præterquam quod chalcanthum in chalcitidem transmutari se vidisse asserat, plurimum etiam miratur, quomodo vehementissimè adstrictum in vitriolo admixta sit caliditas non instrenua. Verum non opus fuisset illa admiratione, si vivum rerum Anatomen sectatus paulò diligentius perscrutatus fuisset interiores Vitrioli medullas Galenus; non autem in externis duntaxat qualitatibus ejusdem elementaribus hæsisset: Sic enim revera deprehendisset, præter externa illa, quæ heterogenea ferè sunt, in vitriolo diversas esse substantias (& propter illas in eodem latere reconditas vires & virtutes medicinales summè stupendas. Unum idemq; sentiunt & scribunt cum sectatores ejus omnes & singuli, & ipsi internæ rerum Anatomes ignari & expertes; nempe Ægineta lib. 7. de re med. oribus: lib. 15. med. collect. Æt. tetr. 1. serm. 2. cap 77.

Atque eo ipso indicant, quod etiam ex tot & tantis ipsorum scriptis constat & manifestum est, se usum Vitrioli externum quidem quodam-

quodammodo cognovisse; & internum & genuinum planè ignoravisse: imò in externo etiam illo usu nil præter crassam ejus materiam per unicam adustionem & ablutionem in topicas remediorum formulas concinnatam administravisse. Solus ferè & unicus Dioscorides ausus est id intra corpus exhibere, at crudum illud & nullam præparationem passum etiam ad pondus drachmæ unius ex melle dilutum, ad latas ventris tineas necandas, ad vomitum ciendum, atque adversus venena fungorum haustum, ut videre est apud eundem libr. 5. cap 74.

Imò Andromachus famosæ illius Theriacæ author vitriolum eidem commiscere non veretur, partim ut sentiunt cum eruditissimo Fuchsio plerique coloris nigri conciliandi gratia, qui color in Theriaca ab omnibus necessariò requiritur; partim etiam ut inde desiccantem facultatem adipiscatur sufficientem: quanquam alia quoque de causa recentioribus & iis spagyricis medicis videatur adjici, de qua paulò infrà, ubi de spiritu Vitrioli, quem crudi vitrioli loco suadent ex modernis Dogmaticis haut postremi in Theriacæ compositionem adsumendū, verba sum facturus. A Dogmaticis, quorum crassior pars ut ab aliis ferè omnib. ex mineralium familia petitis medicamentis abhorret, ita quoq; & vitrioli

indeq; paratorum remediorum uſum ſuſpectum habet & noxium, ſed citra firmam aliquam rationem; ab his inquam digreſſus ad Hermeticorum ſcholam & ergaſteria me recipio inde mutuo aſſumturus quas ipſi vires medicinales vitriolo & inde paratis medicinis adſcribant: quod tamen, ut omnis evitetur confuſio, ὡς ὢν συνόψῃ breviter ſic expedio.

Hi ergò, ne longis utar ambagibus duplicem vitriolo, ſicuti omni etiam metallo, adſignant & attribuunt ſignaturam, internam ſcilicet & externam: hanc communiter viridem ſtatuunt, cum tamen quodque etiam ſit coloris cærulei aut alterius ſemper nihilominus de viriditate nonnihil plus minus ut participantis. Sub hac externa deliteſcit altera interna, quæ eſt gratiſſima illa rubedo continens ſummum quod quærunt artifices arcanum medicinale: quod ipſum innuere voluerunt priſci ſapientes uſitato illo ænigmate quo ajunt; Viſitabis Interiora Terræ, Rectificando Invenies occultum lapidem veram medicinam.

Quibus verbis non ſolum inſinuare voluerunt in Vitriolo, quod literæ initiales cujuſq; dictionis conjunctæ ſignificant, eſſe & deliteſcere ſummam vim medicinalem; verum etiam quomodo quavé ratione ea ſit inde eruenda ſignificarunt, videlicet non hærendum eſſe

inex-

in externis illis nec sufficere signaturam illam externam; sed qui istam invenire medicinam desiderat, hunc oportere altius quid sibi proponere, & interiora Vitrioli inquirere, scrutarique internum ejusdem rabedinem summâ cum dulcedine conjunctam; quam quâ ratione quovè artificio quis consequatur, in arcanis meritò sibi asservant Chymici artifices, eandemque adipiscitur, cui illi liberali communicatione favere non recusabunt.

Atque inde facilè est colligere propter hanc internam illam rubedinem dulcedinemq; tot & tantàs attribui vires & virtutes medicinales à Chymiatris ejus gnaris, ut etiam in solo & unico Vitriolo tantam latere medicinam affirmant, per quam quarta morborum pars curari & averruncari valeat.

Ne autem quid falsô comminisci videar, ad universam communionem legitimorum Chymicorum me refero; qui idem omnes sentiunt & voce scriptisque contestantur.

In specie lubet ex ipso Mysteriarcha Theophrasto nonnulla de viribus & virtutibus medicinalibus Vitrioli huc transcribere.

Sic ergò inquit l. de œcon. mineral. c. 16. ex versione Dornæi: ad gravissimos stomachi dolores & ægritudines ex in ordinata cibi potusque sumptione prævenientes vel ad ejus digestionem crudū exhibitum quantitate Cometz

puta granorum trium debilibus in vino vel aqua, robuſtis in vino deſtillato radicitus omne vitium expurgat ſurſum atque deorſum pellens. Non hellebôrus non colocynthis neque Diagridium æquè vehementer purg nt aut perfectè curant, ut iſtud, nec vermes pellendi facultatem habent. Eſt etiam ad caducum inter curandum præ cæteris optima per vitriolum purgatio. Ejuſmodi proprietates à duplici natura illi contigerunt, acetoſitatis videlicet atque ſalſedinis; quapropter aliis eſt medicina multò nobilior.

Nam, ut in codice Germanico habetur, in vitriolo ſunt duæ naturæ potentes ad purgandum, una quæ purgat ex natura ſua, altera ratione ſalſedinis: Et ſic in Vitriolo eſt vis genuina purgatrix, cum una ſaltem ſit in vegetabilibus.

Adhæc ſalſedini Vitrioli ineſt vis & virtus ſpecifica vermes enecandi omnes, quos modò attigerit: quæ vis eſt in Vitriolo, nec in aliis catharticis invenitur. Ideoq; id notare præcipit, eam purgationem, quæ præter & juxta vim laxandi acetoſitatis quoq; & ſalſedinis eſt particeps optimè evacuare & expurgare: quamobrem meritò, ubi opus purgatione, hæc ex Vitriolo adhibetur, & aliis omnibus, cæteris tamen paribus jure præfertur. Inprimis vero unicè conducit ex Vitriolo purgatio ventri-

ventriculis preter naturam aggravatis & oblęſis; hominibus item caduco infeſtatis & vermibus divexatis, ita poſtulante neceſſitate, conditione ægrotantis admittente, & tempore morbi aliiſq; non prohibentibus.

Idem præterea Theophraſtus l.7. Archid. de ſpecifico purgativo adſerit veriſſimè, Vitriolo hanc quoq; ineſſe proprietatem ut omnes putrefactiones tollat, & ea omnia, ex quibus plurimi ſcaturire ſolent morbi, citra materierum peccantium diſcrimen; non enim vel phlegma magis vel bilem vel Melancholiam præ reliquis movet, & expellit, ſed ſine diſcrimine omne id, quod pravum & impurum eſt, quodque damnum & nocivum corpori, in quo ſtabulatur, inferre poteſt.

Alibi nempe tr. 3. paragran. idem Theophraſtus de Vitriolo hæc habet; Quam notabilis eſt experientia Vitrioli ſolius, quod in ore & manibus ferè omnium eſt, propter manifeſtas ejus virtutes & operationes: quod vitriolum etiam hîc attingo, non ut impediam, ſed potiùs ut promoveam operationem & virtutes illius. Hoc igitur primo præbet laxativum maximum, quod inter deoppilantia ſummum eſt, nullum neque internum neq; externum præteriens membrum, id quod deoppilando vim ſuam non exerceat, jam vero hoc primum eſt ejus tempus. Alterum & ſubſequens dat con-

constrictivum maximum, quo uti sub initium primi sui temporis de oppilando plurimum relaxavit, ita post non minori efficacia constringat. Neque tamen hoc ipsum est arcanum ejus; & nondum sese explicuit in surculos frondes & flores: quod si in frondes, quid in caduco præstantius? sin in flores, quid est quod magis penetret? Mirum sanè in uno Vitriolo esse contrarias actu vires, dissolvendi nempe seu relaxandi, & coagulandi seu constringendi.

At non caret res hæc ratione; quam Theophrastus tribuit acetosæ salsedini quæ est in Vitriolo; cui subscribit Dornæus hac de causa, quia stomachus acidis maximè confortetur & salsis admodum juvetur in digestione fienda per ipsum.

Non ergò mirum, si in vitriolo sit vis curandi morbos actu contrarios dissolutos scilicet & coagulatos, propter vim illam acido salinam, quæ, suo tamen modo, juxta Theophrasti enunciatum causa est dissolutionis & coagulationis. Et quis potest omnia transcribendo huc referre?

Illud saltem addere lubet, in Vitriolo esse quid quod universalis medicinæ vires æmulatur, cum sit sedes & habitaculum omnium spirituum metallicorum. Cum enim ut loquitur doctissimus Quercetanus in Tetrad. c.30. naturæ metallicæ prima materia & tanquam

quam Ens primum habetur & fit, non eſt dubium, quin ejus ſpiritus nondum mole corporis ſolidiore craſſaque metallorum obruti, ſed corporei adhuc ſpiritus, aut corporis ſpiritualis naturam retinentes viva activaque efficacia atque qualitate, hoc eſt immenſa ac inexplicabili virtute, [ut qui ſimplicitate & puritate, elementari mineralique minus recedant] præditi ſint atque inſtructi: utpote in quo vitriolo omnes omnium metallorum ſpiritus, vires, ac proprietates potentiâ tanquam in ſua origine deliteſcant ac contineantur. Inprimis vitriolati ſeu venerei ſpiritus, ut & martiales ſolares Lunareſque; qui cum eo tanto conſenſu ac congruentia junguntur, ut in ipſum vel magna etiam copia ſeſe transfundant & ab eo eliciantur.

Unde fit ut non tantum qui à Vitriolo extrahuntur ſpiritus ſolius cerebri affectibus tanquam Lunares conducant, ſed cordis etiam, renum generationiq; dicatarum partium, Martialibus quoque ac venereis morbis tanquam Venerei & Martiales opitulentur ac remedio ſint: non minus quam aquæ metallicæ vitriolatæ, ad quas invicti & deplorati morbi ſolent ablegari cum ægrotantibus.

Speciales porro vitrioli vires & proprietates, operationes atque effectus, commodius adjici poſſunt & ſubnecti præparationibus medi-

medicamentorum ex eodem; quæ cum variæ ſint & diverſæ, varia quoque & diverſa inde concinnantur remedia effectibus quoque ab invicem diſcrepantia, prout videlicet ad naturam vel ſalis vel Mercurii vel ſulphuris & hujus vel illius metalli propius accedunt, & de his vel illis plus minusvè participant. Sic quæ craſſiora ſunt & ad ſalinam magis accedunt naturam, ea præ cæteris ad mundificandum expurgandum vacuandum ac expediendum ventriculum aliaque nutritioni inſervientia viſcera, ægritudinibuſque Tartareis à craſſiori materia genitis inſerviunt: quæ verò mercurialia potius ſunt & ſpirituoſa, hæc altioribus deſtinata ſunt proprietatibus & viribus, plurimumque pollent adverſus morbos aſtrales capitis potiſſimum, Apoplexias nimirum epilepſias & conſimiles, ſive primario affectu & ἰδιοπαθηκῶς ſive ſecundario & συμπαθηκῶς contingant.

Quę demum ſulphurea & ignea magis ſunt, ea abſumendis morbis contumacioribus, & obliterandis tincturis morborum fixis deſtinata ſunt & dicata, viribuſque prædita ſunt tantis, ut chronicos aliàs & contumaciſſimos morbos ad inſtar ignis conſumant, diſſipent & penitus tollant; quod non diffitebuntur qui Vitrioli Anatomiam verè ſpagyricam inſtitu-

ſtituentes præter illa duo ſalina & Mercurialia medicamenta, etiam ſulphurea, rubedinem ſcilicet dulcedinemque vitrioli nacti ſunt & uſum ejus feliciſſimum experti.

Cæterum cum longè plures ſint deſcriptiones & præparationes remediorum ex hoc vitriolico minerali, quam ut hîc recenſeri & adduci poſſint aut debeant, præſertim cùm aliàs copioſi ſint in hoc authores Hermetici: ne planè ſim ἀσύμβολος, & ne faſtiodio & tœdio ſim lectori benevolo, ex multis quatuor proponam Grillam nempè ſeu Gillam, verum acidum vitrioli ſpiritum, ſulphur ejus anodynum, & Magiſterium: de his qua fieri poteſt brevitate perſpicua, & perſpicuitate brevi agam ſubnecturus præparationem, uſum, vires & doſin ſingulorum ductu diſcurſus exordio ab ipſamet Gilla, ut hoc nomine utitur Theophraſtus libr. 2. de virib. membr. interior: cap. 4 qui alibi idem medicamentum vocat Grillum ſeu Grillam l. de œcon. miner. cap. 16. cum ait, in arcanis vocatur Vitriolum Grillus vel Grilla.

Sive ergò Grillus vocetur, ſive Grilla, ſive Gilla, aut alio etiam nomine hîc non moror: nõ enim rem & vim medicamenti tollit, quocunq; id nomine vocetur, placuit procul dubio ejus inventori ita denominare remedium

hoc,

hoc, nec multum negocii id nobis facessit: nominum impositio arbitraria est & libera; ideoque si quis id alio nomine vocari velit, cum hoc eam ob rem non litem movebo. Potius ero solicitus, & id facere decet solertem naturæ indagatorem quemvis; anquirendo qualenam sit hoc medicamentum, quæque ratio id parandi legitima & salubriter utendi debita methodus.

A variis autem variè præparatur hoc medicamentum. Quidam vitriolum minerale accipiunt, illudq; aliquoties solvunt, & in crystallos rursus concrescere sinunt, quousque optime à sordib. sit repurgatum: hoc cum proprio suo phlegmate pondere convenienti per aliquot tempus circulando digerunt: si fæculenti quid separando subsidebit in fundo ab illo clara solutio per inclinationem diligenter segregant, cavendo, ne quid turbulenti aut impuri una effundatur.

Crollius sic præparat; accipit Vitriolum ex metallis, quæ præ reliquis maximè sunt Vitriolica, marte videlicet & venere, illudque in cryftallos pellucidos concretum resolvit in phlegmate acido quod primo egreditur è distillatione Vitrioli vulgaris: solutum per octiduum circulando digerit, & post de hoc circulato, quod Gilla est Paracelsi, certam exhibet quantitatem.

Sunt

Sunt qui hanc alteri præferant; ſunt etiam qui illam huic anteponant: neutris ego ſimpliciter contradico. Crollius fortè eò reſpexit, quod vitriolum ex metallo, quod ſibi eſt cognatiſſimum, paratum admixtione ſalium aliorum, quæ aliàs communi & minerali vitriolo adhærere & inhærere ſolent, maxima ex parte deſtituatur, atq; propterea vim ſuam vitriolicam citius expeditius & felicius exercere poſſit.

Interim quæ ex minerali Vitriolo paratur Gilla, non ſimpliciter erit rejicienda, ſed locus eidem non poſtremus inter medicamenta vitriolica concedendus; non ſolum quod minori labore & breviori tempore paretur, verumetiam quod idem vel plus etiam præſtet Vitriolum minerale hac de causâ, quod id origini ſit proximus & ſpiritus habeat mole corporea metallica non obrutos ſed liberiores, ſicuti paulò ante ex Quercetano oſtenſum eſt.

Hujus preparationem ego deſiderans Crollii deſcriptionem ſum ſecutus & hoc modo præparatam Gillam ex Vitriolo martis coloris ſubviridis, deprehendi ſummarum eſſe virium in expurgandis ex ventriculo, inteſtinis præcordiis, pulmonibus nec non capite noxiis ſuperfluitatibus, unde ſuboriri ſolent anguſtiæ præcordiorum, ventriculi aggravationes & aliæ læſiones, quibus anſa ſubminiſtratur fe-

bribus lumbricis item colligitur gignendis apta materia rerum & articulorum vitia dependent, catarrhosis defluxionibus occasio datur.

Hisce malis omnibus mederi potest hæc Grilla, ventriculum & proximè vicina membra sarcina illa, non solum levando, sed etiam iisdem ac præsertim ventriculo robur suggerendo; hinc per experientiam cognovisse licuit, quosdam usu Griliæ seu Gillæ instantes dolores podagricos præcavisse, adeò ut iidem aliquot annos non redierint, aut in quibusdam mitius saltem afflixerint & citius desierint, puto id factum propter revulsionem & evacuationem, propter quas operationes in podagra à plerisque ad præcautionem commendatur vomitus, quem, si eo opus, longè felicius præstat Gilla hæc, quam usitata ἐμετικὰ, qualia & quanta etiam sint: leniter enim vomitum proritat & cerebrum benigne expurgat, è vestigio & ferè statim postquam fuerit ebibita; nec ullum inde infertur nocumentum, nisi quod gravi & metallico plerumque sapore linguam & palatum inficiat, qui tamen paulò post abit & evanescit.

Quanquam credam illum saporem metallicum non omni adesse Gillæ, aut saltem non tantum, sed ei solùm, quæ ex vulgari & ignobiliori paratur Vitriolo; quæ tamen si pare-

paretur ex Vitriolo ungarico aut Romano, [quæ duo non cuprisare, liceat sic loqui, hoc est, non cupreo sapore linguam ferire adserit Mysteriarcha schol. in l. paragr. de caduco] aut nullum ejusmodi saporem, aut non adeò gravem post se relinquere deprehenditur.

Dosis hujus liquoris Vitriolati est perexigua, nempe scrupulus unus, quæ tamen dosis habita ratione ætatis sexus, complexionis & consimilium circumstantiarum, minui potest ad semiscrupulum & augeri ad sesquiscrupulum, scrupulos duos, & ad drachmam unam ad summum. Gillæ præterea vim deprædicat Crollius in promovenda curatione vulnerum recentium, si quaternis auroris continuis drachma semis in cerevisia calida assumatur. In catarrhis suffocativis aliquando feliciter ea sum usus, statim enim post ejus exhibitionem cum haustu vini copiam crassæ lentæ & viscosæ materiæ vidi rejectam, & hoc malo laborantem à suffocationis periculo imminenti per Dei gratiam liberatum. In Asthmaticis quoque cæteris paribus usus hujus non potest non prodesse.

Quod autem Crollius subnectit hoc medicamentum præter vomitum & secessum, etiam per sudorem operari & somnium inducere,

fateor me nondum esse expertum; & videtur nõ per se sed ex accidenti sudorem movere, & somnum facere, si forte ea usum ejusdem sequantur; cum ea videantur propria opera esse sulphuris, quod per hanc præparationem separatum magna ex parte est, aut saltem ejus vim obtusam arbitror & præsertim somnum inducendi vim quæ non est partis & substantiæ salinæ, sed sulphuris narcotici, quod hîc non adest, neque tamdiu in corpore manere videtur ut talem causare possit effectum; subitò enim postquam est assumta Gilla vomitu rejicitur. Interim tamen liberum esto cujusque hac in re judicium: nolo enim hac de re cum quopiam contendere & rixari. Nec est quid quis hunc vitrioli usum adeò formidare velit, quasi id sit venenum? Ut enim nil dicam de veneranda antiquitate, quæ vitriolum ex venenorum catalogo expungendo ab ejus crudi usu etiam intra corpus non abstinuit; audiat quæso, vitrioli mastix quid hac de re scribat Theophrastus defensione sua tertia. Sic ait; Vos mihi objicitis, Vitriolum; in quo sunt majora mysteria & ex quo plus utilitatis redundat, quam ex omnibus pyxidibus pharmacopoliorum.

Quod sit venenum dicere non potestis. At erit corrosivum; dicite quomodo & qua ratione? per vos eò deducendum, aliàs corrosivum

vum minimè exiſtit. Si in corroſivum præparari poteſt, poteſt quin etiam reduci in gratam dulcedinem; ambo enim conjunguntur.

Qualis ergò eſt præparatio, tale quoq; evadit Vitriolum. Hæc ille: unde colligo Gillam hoc, uti dictum, modo paratam, non ſolum non eſſe venenum, ſed nec ullius participem corroſionis; tutam itaq; & ſalutarem dataque occaſione non negligendam eſſe.

Ad ſpiritum Vitrioli, medicamentum, quod ferè in omnium nũc ore verſatur, progredior; de cujus ritè præparati & legitimè adminiſtratione viribus & effectibus ſalutaribus ſi accuratiorem indaginem adhibere & Miſochymicorum quorundam calumnias & convitia contra uſum ſpiritus Vitrioli adducere & refutare vellem, non ſufficerent paucæ, quæ reſtant, paginæ, ſed integer & peculiaris liber de eo eſſet conſcribendus.

Illud tamen cum inſtitutum admittere non videatur, & ab aliis fuſius omnia hæc pertractata legantur, ideoq; fuſius de eo diſcurrendi ſuperſedemus labori. Sufficit ſcire, innumeras & maximas ſpiritum Vitrioli rectè præparatum utilitates præſtare dextrè eo utentibus: ejus præterea contemptores [qui in verba Galeni jurârunt & opinionũ ſunt mancipia; quiq; receptis longis & latis præſcribendis phamacopolarum officinæ & eorum uſui potius ad-

dicti sunt, quam rei veritati & ægrotantium saluti,] neq; in ipsum vitriolum verè philosophicè cognoscere, neq; & minus verum vitrioli spiritum agnovisse, multo verò minus de altioribus & præstantioribus ex vitriolo remediis quid audivisse aut intellexisse.

Viris Chymiatris celeberrimis, imò multis in Dogmatica secta præcellentissimis in frequenti est usu vitriolum & præsertim spiritus ejusdem acidus, quanquam hîc quibusdam peritis Chymicis videatur non esse verus vitrioli spiritus, sed potius salium mineralium vitriolo adhærentium & commistorum. Etenim, ut loquitur Rogerius Baccro, nemo abitretur spiritum, qui ex vitriolo crudo & non antea rectificato elicitur, ut & oleum ejus acre, esse verum vitrioli spiritum, & verum ejus oleum, sed spiritus salinus prodiens ex commistâ unione salium in vitriolo. Nam in tota intima substantia & natura Vitrioli, nulla neque aciditas neque acredo deprehenditur & reperitur, sed summa dulcedo concuncta cum suavissimo odore.

Interim tamen spiritum vitrioli hunc acidum non simpliciter rejiciendum duco, siquidem & ipse usu salutari non destituitur, si quod circumspectum decet medicum qui eo cum fructu uti sibi proponit, quodnam salium præcipuas partes in Vitriolo destillando obtineat,

neat, ante probè examinaverit, & debitè operando processerit: de quo ritè parando nunc pauca.

Hunc parant diversi diversimodi; quorum modos aliquos passim apud Chymicos scriptores inveniet lector præsertim apud Libavium l. 8. syntag. arcan. c. 26. alii alios quoq; habent, & quidem minus legitimos. Sunt enim ex cinifionibus quidam, qui lucro potius inhiantes quam saluti hominum studentes nescio quid pro spiritu vitrioli parare & vendere solent; quod postmodum pharmacopæorum quidam ab istis impostoribus emere & medicamentis ad medicorum præscripta commiscere nõ verentur cum ægrotantium quibus tale medicamentum propinatur damno: hi sanè non considerant hujuscemodi coemtum spiritum, quandoq; accedere ad naturam aquæ fortis.

Itanè est dicet quispiam? Revera ita est; nam sint lucricupidi quidam impostores, qui ut statim prima gutta exeat acida, & sic ipsi majorem copiam spiritus nanciscantur, Vitriolo addunt partem salis nitri: & hanc additionem huic spiritui inducere naturam aquæ fortis, quis adeo rudis est in Chymicis, qui non videat? Notum est enim ex parte una salis nitri & duabus Vitrioli communem parari aquam fortem: cujus etiam saporem & odorem, aut saltem parum ab eo distantem refert exhibet

hujuſcemodi Vitrioli ſpiritus, per additionem ſcilicet ſalis nitri paratus. Videant ergò quid agant, hujuſcemodi remedia qui non ſolum ipſi debitè non præparant, ſed etiam temerè & ſolius lucri gratia à ciniflonibus temerariis & impoſtoribus perfidis parata coëmunt, proq; genuino ſpiritu Vitrioli acido divendunt, & ægrotis raró ſine damno loco ſpiritus Vitrioli veri & optimi, quem medici ſolent præſcribere, propinant. Digna profectò hæc res eſt animadverſione ſevera. Sed hoc mearum non eſt partium, id concernit & ſpectat ad officium medici phyſici aut illorum, quibus inſpectionis & viſitationis pharmacopoliorum cura incumbit præ reliquis.

Quamobrem de hoc ipſo ego nil amplius addo: potius quomodo hic ſpiritus Vitrioli debitè paretur, quod inſtituti ratio poſtulat ſubjiciam. Inter plures autem modos, quos hinc colligere & videre mihi licuit optimus mihi videtur is: per quem Vitriolum ad deſtillandum ſpiritum ſelectum, in loco calido & ſicco non tamen exceſſivo reponitur tamdiu, donec ſuperfluâ & extraneâ humiditate majori ex parte abſumta vitriolum albeſcere incipiat. Sic enim metus non eſt, ut pars illa Mercurialis, volatilis & penetrãs deperdatur, quod fieri veriſimile eſt, cum vitriolum ad rubedinem à nonnullis calcinetur. Exiccatum

illo

illo modo Vitriolum inditur in retortam firmam furno convenienti imponitur; amplum recipiens ad excipiendos spiritus idoneum apponitur, juncturæ luto optimo obserentur & claudantur, ne quid spirituum exhalet: dehinc ignis carbonū succenditur; primo lentissimus ad evocandam humiditatem phlegmaticam, sensim eum augendo eousque donec nihil spirituum, qui sub forma nebularum albicantium totum replens vas receptorium, amplius exire videbis.

Quo peracto sensim ignis extinguatur, & vasa refrigescant relinquendo ad minimum per biduum: lutum linteo madido emollescat & auferatur: & vitriolicum liquorem triplicem ab invicem peculiari quemvis gradu ignis separa; phlegma scilicet in balneo à spiritu & oleo, cujus si rectè operatus fueris, haut exigua portio unà exibit; at spiritum separabis ab oleo per arenam.

Hic modus licet communis sit & usitatus, est tamen convenientissimus: interim, ut labor separationis minuatur, quidam retortæ jungunt cucurbitam aliquam inferius perforatam, cui postmodum applicant amplum illud recipiens in quod soli spiritus pelluntur, remanente propter gravitatem oleo in cucurbita.

Sed sedulos artifices non tædet dictos li-

quores ab invicem separandi laboris: atq; de præparandi modo hæc dixisse sufficiant; si cui hic displiceat & arrideat magis Crolli, salæ, aut alterius, cum eo non pugno, utatus eo quo velit, modò, nihil alieni vitriolo addatur, quod noxæ & damno esse possit utentibus.

Crollius licet fateatur & concedat ex Vitriolo minerali spiritum hunc parari; alibi tamen, in specifico scilicet stomachico asserit ex Vitriolis metallicis ferri videlicet & cupri spiritus & oleum præparari vulgari & cognito modo longè majoris efficacia & virtutis quam è vitriolo communi.

Utut autem illi lubenter concesserim spiritum ex Vitriolis metallicis paratum & prolìticum summas & efficacissimas obtinere vires præsertim adversus illos morbos quos Marti & Veneri adscribunt, & ad conservanda ea membra quæ hisce subjacent Planetis: nihilominus tamen rationi non videtur consentaneum, spiritum ex vitriolo minerali prolicitum minores edere effectus & minus prodesse corpori. Imò potius verosimilius videtur, hunc ipsum præterquam quod Martialibus conveniat morbis & venereis curandis, etiam alia viscera & membra non respuere, sed salutari operatione iisdem pro re nata opitulari & prodesse vi sua Vitriolica omnium spirituum metallicorum potestate dota-

dotata: quemadmodum jam aliquoties me meminisse recordor. Imò, si præter hunc spiritum altiora ex Vitriolo medicamenta sunt eruenda, videtur minerale vitriolum metallico jure esse præferendum, propter causas supra allatas. Neque tamen quidvis vitriolum est assumendum, sed inter diversas ejus species, illud quod præ reliquis optimum est, seligendum.

Quodnam vero reliquis sit præferendum, discrepantes sunt artificum opiniones: Theophrastus Cyprium Ungaricum, Romanum aliis omnibus præfert, eâ de causâ, quod in iisdem sit major vis solaris quam in aliis. Sic enim ait de morb. ament. tr. 2. cap. 1. ubi arcanum Vitrioli describit; hoc simplex est Vitriolum, quod asportatur ex Ungariâ, Cypro, vel Româ: illud enim præ cæteris probè est depuratum & graduatum [liceat mihi sic loqui, & artis vocabulo uti] neque propterea succenseas aut irascaris Vitriolum tantam obtinere virtutem.

Nam hujus rei hæc est causa; quia in ipso delitescit vis & natura solaris non corporaliter sed spiritualiter, quæ excellentiores & plures obtinet vires, quàm quæ in auro jam perfecto inveniuntur, cum reliqua vitriola pro cuniculorum diversitate ad naturam veneream seu cupream & martialem seu ferreum propriis accedant.

Quam-

Quamvis autem non diffiteantur moderni ſpagyri, dicta tria vitriola primas meritò obtinere; veruntamen cum Cyprio & Romano ſubſit & adſit plerunque ſuſpicio adulterationis & ſophiſticationis, illud non adeò expetunt, quanquam ſi verum & purum ex iſtis regionis aſportaretur, non rejiciunt; Ungaricum ideoque colore cæruleum reliquis præferendum cenſent.

Interim & hoc non ſemper in terras noſtras advehatur, pre aliis cõmendant quod in ſilegia in mineris vff dem Zigmantel provenit: ferunt enim id confici è minera Auri, argenti, ferri & cupri. Quod ſi & hoc non ſit ad manus reliquorum defectum ſupplebit, quod ad manus eſt & haberi poteſt, ſit etiam Bohemicum vel Goslarienſe, modo inter hæc ſeligatur quod optimo propius accedit.

Illud autem præ cæteris ad medicum uſum commendatur à pleriſque, quod vi pollet inſigni ad pellendos vermes; & quod ferro affrictum illud cupreo intenſius inficit colore: ita docente Theophraſto l. de reb. nat. c. 8. de Vitriolo. Uſum nunc vitrioli hujus acidi quod attinet, de eo paulò fuſius ſubjiciam nonnulla, cum medicorum nunc ſit ferè nullus, qui eum ritè præparatum & legitime uſurpatum inſignium eſſe virium non ultrò fateatur.

Pauci ſunt, & ii ex juratis opinionum mancipiis,

cipiis, solisq; receptis scribendis [Libavii verbis utor] officinæ pharmacopolarum potius, quàm pharmacopæorum addicti, qui præter alia etiam usum spiritus vitrioli repudiarunt & contemserunt, nescientes distinguere inter liquores vitriolicos, phlegma, spiritum & oleum.

Egregia sanè opinionum mancipia? Egregii estis rerum Chymicarum censores si diis placet. Discite prius vasa & instrumenta Chymica discernere; discite ea ad usum debitè coaptare; discite ignem convenienti regimine administrare: discite inquam, ipsum vitriolum per vivam Anatomen in sua principia resolvere, & discernere differentiam inter phlegma, spiritum & oleum, omnia ex uno Vitriolo at diverso gradu ignis prolicita & alia scitu summè necessaria. Discite inquam hæc omnia prius, & post de rebus Chymicis & medicamentis Chymicorum cogitate censuras proferre. Quod nisi feceritis, ne hili æstimabunt vestras censuras, & calumnias juxta Chymicos alii quoque rerum periti & candidi æstimatores.

Liceat mihi hoc loco spiritus Vitrioli causam contra hostes Chymicorum agere; brevibus me expediam præcipuas scilicet adversantium ratiunculas saltem recensendo & easdem refutando: neq; enim multum temporis insumam

mam, cum rationes omnes fere tales sint, quas saltem notasse, sit confutasse.

Contra spiritum vitrioli præ reliquis publicè insurrexerunt Erastus, Riolanus, & ex modernis Johannes Baptista sylvaticus: qui priorum argumenta reassumsit & in controversiis Medicis Italorum more & πολυλόγως duodecim argumentis usum spiritus Vitrioli acidi ex agro medico eruncare sategit. At hic nil aliud, nisi imperitiæ suæ in hoc negocio argumenta annotavit: quæ enim proponit nullius planè sunt valoris, imò ne cum cassâ nuce æquiparanda. Quæ enim noxa ob aciditatem & vim causticam vitrioli spiritui acido adfingitur; ea planè nihil eidem obest. Si enim aciditas adeò est ut noxia contemnenda, quid quæso eveniet succo Limonum, Berberorum, ipsoque etiam aceto frequentius & quasi jugiter vescentibus? Caustica vis, quæ in spiritu Vitrioli planè nulla est, minimè hic est incausanda: qui enim eam spiritui huic Vitrioli inesse dixerit, is sciat se crassum dicere mendacium & atrocem committere calumniam.

Sit etiam, quod Italus objicit, ex probatis authoribus antiquis nullus, qui ejus usum ad miserit & commendaverit: quid obest urit officit hoc usui genuino spiritus vitrioli? Quid ad testimonia tot medicorum ex modernis celeber-

leberrimorum de ſpiritu Vitrioli acido utiliter uſurpato, Itale? Et dato, quod priſcorum nullus de eo quid ſcripſerit, putas ne propterea damnandum eſſe uſum ſpiritus hujus? Malè, ſi ita ſentis.

Si enim, ut loquitur doctiſſimus Rulandus ob aſſenſus priſcorum defectum hoc medicamento uti nefas eſt, etiam nuper nata peregrina ſaluberrima tamen in uſum adhibita medicamenta ſunt exterminanda.

At ſepticum eſſe ais, teſtimonio Dioſcoridis & Galeni: Galenus quidem aſſerit in vitriolo cum adſtrictione vehementiſſima commixtam eſſe caliditatem non inſtrenuam lib.9. de ſimpl. med. fac. cap.61. Septicum vero minimè dixit. Sic Dioſcorides id cruſtam inducere quidem aſſerit, quo autem fundamento ignoro. Et quid cogitavit Dioſcorides miror, qui cum id credat, ut vult Italus, eſſe ſepticum, nihilominus vitriolū intra corpus crudum & drachmæ unius pondere adverſus venena fungorum propinare auſus fuerit. Et dato, quod crudum Vitriolum ſepticæ facultatis ſit particeps, non etiam ſtatim dabitur, ſpiritum vitrioli eſſe ſepticum & ob id minimè uſurpandum.

Si n. fortè aliquid heterogenei Vitriolo toti adhæreſcat ob quas ſepticę ſit virtutis, quis adeo rudis eſt, qui neſciat, nō remanere eam vim

ſegre-

ſegregatis heterogenis illis à quibus vis ea dependet? Non eſt eadem ratio totius impuri & heterogenei, quæ eſſe debet & eſt partis depuratæ.

Sic in febribus caliditatem minimè adauget, ſed potius fortiter eam extinguit vel maximè reſiſtendo putredini fomiti caloris præternaturalis. Quod urget, ſpiritum Vitrioli reddi calidiorem per deſtillationem, & ſic minus utilem eſſe in curandis febribns, falſum eſt: & eo ipſo ſuam loquitur imperitiam, proditque ſuam in operibus Chymicis ignorantiam.

Ideoque ſimplici ejus affirmationi ſimplex opponitur negatio, cum quod dicit ſit falſiſſimum: Tantum enim abeſt, ut ſpiritus hic Vitrioli acidus ſit particeps noxiæ alicujus caliditatis, quin potius præter vim retundendi putredinem omnem; eundem ſtrenuè reſtinguere calorem febrilem per experientiam conſtat. Dum Vitriolum inter venena reponit, falſiſſima & calumnias loquitur; ut & dum vomitum ciere ſpiritum affirmat: vomitum enim non ſolum non proritat, verumetiam eum effrenatum aliis incaſſum adminiſtratis mirè ſedat & compeſcit. Sudores quidem movet ſed ad hoc peculiari quâdam ratione uſurpatus: attamen in febribus non ad ſudorem ciendum, ſed potius ad detergenda glutinoſa,

ad

ad crassa attenuanda, & obstructiones resecandas, atque putredinem hoc modo debellandam in usum adsciscitur spiritus Vitrioli; quibus sic expeditis salutaris postmodum subsequitur refrigeratio.

Et quis omnia poterit apponere citra tædium? Quæ enim à Misochymicis contra usum spiritus Vitrioli acidi in medium afferuntur levia omninò sunt & talia, quæ ex dictis nullo negocio possunt confutari.

Propterea, ut denuò cum Libavio loquar, mittantur convitiatores spiritus Vitrioli & aliorum nobilium medicamentorum, quæ dum rabie sua petunt, Basilisci fatum meritò experiuntur.

Testantur medici Dogmatici eruditione & artis operibus præcellentissimi [inter quos cluent Angenius, Matthiolus, Gesnerus Platerus, Stecghius, & alii quam plurimi] sat abundè de saluberrimo spiritus Vitrioli acidi usu saluberrimo: ut de Hermeticis hîc nihil dicam.

Inprimis, ut de viribus ejusdem brevissimè quid subjiciam, commendatur in febribus putridis tam continuis quam intermittentibus, tam benignis quam malignis: præterquam enim quod cum aquis appropriatis permistus & haustus refrigeret & sitim extinguat, putredini inprimis humorum fomiti unicè

caloris & malignitatis vel maximè resistit. Inanis est ergò nonnullorum persuasio, spiritum Vitrioli acidum calefaciendo incendium febrile augere: hi revera fatentur eo ipso, se, quid sit Vitrioli hic spiritus, ignorare.

Utiliter præterea adhibetur ad quosvis ferè affectus, [ubiq; tamen propinatus cum appropriatis liquoribus] ex obstructionibus à crassis lentis viscosisque humoribus prodeuntes: imò in specie ad Melancholiam hypochondriacam, infarctus mesenterii, jecoris & ventriculi atoniam, & alia quam plurima mala, Cachexum, Leucophlegmatiam, calculum, languentem ventriculi appetitum, adeò ut non unicam sectionem sed librum singularem spiritus hic Vitrioli sibi vendicet, si virium ejusdem integra enarratio esset instituenda.

Unicum hoc addo, illum loco Vitrioli crudi in compositione Theriacæ à præstantissimis medicis modernis rectè & salutariter substitui. Cur autem id fiat, & cur ab Andromacho chalcitis usta adjiciatur supra quidem ex mente Fuchsii allatum: quæ causa quibusdam minus arridet; aut saltem aliam quoq; propter causam id ab Andromacho admitti videtur doctioribus.

Hinc quidem ex nuper mortuis sic scribit; Vitriolum longè plures habet vires, quam vehementissimè calefaciendi, siccandi & attenuan-

nuandi; nam & frigefacit, humectat, sitim sedat, intemperies varias emendat, in ulceribus malignis ponit sanationi fundamentum: & maximè ejus vis arcana in eo recumbit, ut nimirum vires medicamentorum, quibus conjungitur & commiscetur, promat.

Recludit ergò Vitriolum non solum ingredientia Theriacæ, verum etiam promovet necessariam ejusdem fermentationem. Ubi enim melior fit resolutio, ibidem meliorem quoque digestionem, fermentationem unionemque eorum quæ miscentur compositique exaltationem fieri necesse est.

Licet autem Vitriolum omnino assumendum sit, cum tamen crudum aut mediocriter etiam calcinatum assatumque, pernicie non carere videatur propter vim vomitum ciendi quam habet maximam, adeò ut ad pauca etiam grana exhibitum nihilominus vim hanc exerat sat vehementer: summa ob id cum ratione videntur doctissimi medici in dispensatione Theriacæ loco Vitrioli crudi assumere & in dosi paulò majori spiritum ejusdem ritè præparatum.

Qui plura de usu Vitrioli spiritus desiderat, consulat Evonymum, Libavium, Crollium Matthiolum etiam & alios: Ego de hoc plura non addam, sed rectà ad sulphur anody-

num & Magiſterium ex Vitriolo paranda medicamenta recta progrediar.

De his multa quidem eſſent dicenda, ſed ne quid nimis dicatur, certis de cauſis duobus aut tribus verbis rara hæc & non cuivis obvia arcana attingam ſaltem. Rara quippe ſunt & ſecretiſſima, cum ea admodum paucis innotuiſſe certum ſit; unde multi ea dari pernegant; Et Crollius ipſe teſtatur ſibi illorum videndi copiam nunquam factam.

Agam autem & loquar de ambobus unâ eademque ſermonis ſerie, & hoc ideò quod ſulfur anodynum ſit materia, ex qua poſtmodum paretur Magiſterium hoc Vitrioli, per quod intelligi volo oleum Vitrioli dulce ſuaviſſimi ſaporis & odoris. In hujus cognitionem, Deo ita diſponente, perveni paucis abhinc ſeptimanis dum hanc Tetrada meam colligo, ex liberali certorum artificum communicatione, quibus ſilentii fidem Hermeticam ſum pollicitus ſecretum hoc non ita temerè propalaturum.

Ignoſcant ergo candidi Lectores ſi ejus præparationem paulò obſcurius propoſuero, ſiquidem id jubet facta promiſſio; & utendi modum planè ſubticuero, cum eum nondum ipſe ſim expertus. Ubi erit occaſio & libertas, & uſus per experientiam comprobatus, fuſius & dilucidius omnia publicæ utilitatis gratia communicabuntur.

Illud

Illud interim Candidè confiteor parari Magisterium hoc Vitrioli dulce ex sulphure Vitrioli fixo: illud autem per certum aliquod sal unà cum sulphure Vitrioli volatili & combustibili à reliquis vitrioli substantiis peculiari artificio separatur: & inde postmodum per debitam sublimationem, quæ per se fieri debet, atque destillationem congruam sulphur illud fixum à sulphure combustibili volatili separatur per additionem salis vegetabilis primi; agendo per retortum convenienti ignis gradu sulphur fixum anodynum preciosissimus ille thesaurus in fundo recipientis instar pulveris purpurei aut subfusci coloris. Ex hoc demum per legitimam circulationem oleum illud dulcissimum seu Magisterium Vitrioli conficitur: quod vera est Quinta Essentia Vitrioli obtinens tantas & tam immensas virtutes, ut eas potius tacendo admirari voluerint veri Spagyri, quam multis propalando ignaris & invides, cum stupenda sint & penè incredibiles, irridendas exponere.

Eas itaque & ipse nunc quoque in aliud tempus differo, donec videlicet per propriam experientiam certos hujus benedictæ medicinæ effectus cognoverim. Illud interim sciendum, hoc Magisterium Vitrioli jure referri inter medicinas universales: Est enim hoc oleum vera quarta pharmacopolii pars, suffi-

ciens curationi quartæ morborum partis: unde non abs re Paracelſus id cuilibet pharmacopœo ita commendat, ut ſit inſtar lapidis angularis in ſua officina; ſed debitè præparetur, & legitimè obſervatis ubique obſervandis adminiſtretur.

At quo abripior; contrahenda vela monet imminens tempeſtas Miſochymicorum: video enim eos inflatis & plenis buccis calumniandi turbines collegiſſe; quorum impetum, ne videlicet naviculum hanc Chymicam longo itinere ſat defatigatam, & portui appropinquantem in altum pelagus abripiant, & fortè in naufragii periculum conjiciant, meritò devitare pergo. In portum ergo me nunc tranquillum recipio, & finem Tetradi huic impono, Deo Ter Opt. Max. gratiæ & benedictionis ſuæ aura placidiſſima & ſuaviſſima arduis hiſce cæptis meis adſpiranti gratias agens quas poſſum maximas. Interim ne Miſochymici incaſſum tantam ſpiritus copiam collegerint, ecce occaſionem commodam ipſis ſuggero utiliter eos impendendi.

Quænam ea eſt, video vos expectare, & avidè expectare animadverto; metus enim eſt ne aut vi prorumpentes vobis dentes excutiant & genas perrumpant, aut intus ſeſe proripientes vos ſuffocent. Adeſt Chymia-

ter

ter præcellentiſſimus hydraulâ cantilenam Anacreonteam in veſtri favorem compoſitam modulaturus: huc huc ſpiritus iſtos promti emittite, quò acutiori ſono ſenſus, & aures veſtras feriat, ut à Veterno Inſcitiæ excitati, quid revera ſit ſentiendum de Chymicis remediis, tandem verè cognoſcatis & rectius ſapere addiſcatis. Cantilena hæc eſt.

ANacreontis ausus & fervidos sonores
Nunc claudicante dicam, (sic res petit) camœna,
Apollo cum novenis sororibus venito
Ut dictes acutos sed sine dente versus.
Quod magna vis in herbis at major in metallis
Sepulta sit, rotundo brevis sonabō metro.
Est in Rosâ venustas amabilis pudicâ,
. Est gratiosa virtus in Lilio caduco:
Hinc flosculos corollis hos applicant puellæ,
Quæ dum vacant labori tantæq; functioni
Fumos odore suavès pro præmio capessant.
Est succino crocoq; præstans lepos, vigorq;
Quo sensibus recurrunt, cum trita contricantur.
Quot emicant sereno stellæ polo, tot extant
Et vere plantularum formæ solo frequentes
Quæ singulæ peramplis dotibus sunt refertæ,
Mortalium decoris ut usibus dicentur.
Natura non inanes produxit orbe fœtus,
Sed intimis medullis hic abdidit medelas
Exercitationis labore perfruendas.
Nec cessat illa gratas nobis locare vires
In fœtidis oletis membrisq; bestiarum;
Imò nec lapillis, rivis aquæ petitis,
Nec erutis profundo terræ sinu METALLIS.
Quod si furore mentis inscitiaq; ductus

Nega-

Negabit hæc & illa concedet anne iniquus
Hic arbiter videtur & virgula exuendus?
Quis Lemnio probabit non in luto latêre,
Nec Armeno, Strigensive quod cluet sigillo?
Si quis ferat metallum non concoqui per alvum,
Nec digeri in cruorem, qui venulis amicus
Det corpori juvamen, cordiq; robur addat;
Cum spiritus tenelli, qui corde fabricantur,
Exsanguinis recocti sint puriore massa:
Huic ingero vicissim, quod nulla causâ poscat
Tantæ necessitatem rei nec obstet unquam,
Sit sic, quod haut potessit nostri calore ventris
Aurum teri coquivé aut in sanguinem redire,
Hinc pharmacum probatur, nec pabulum cibusvé,
Quod corpori ministret vim sanitatis amplum,
Et donet efficaces fumos potensq; robur.
Nam si velut ciborum chylus, periret alvo
Omnesq; qualitates amitteret moventes,
Medela nulla posset, sed esca sola dici.
Insanus ergò jactet se Essentiam chymumvé
Traxisse de nigellis radiculis Melcagri,
Dum blaterat quod auro nil virium superfit,
Mortalium quod artus restauret & vigorem,
Mittamus at negantem, quæ sunt in orbe nota
Ad insulam feracem tam muneris potentis,
Ut discat in liquores essentiamq; puram
Usu, manu, labore, quæ separanda restent:
Mucum trahat cerebro, fecemvé bilis atræ,

Ut intimè penetret res abditas & instar
Lyncei, quid adsit imis in montibus sepultum,
Perlustret omne visu mentis, sciensq; tractet.
Quod si nec inde quicquam latere sub metallis
Vel optimam medelam languoribus dicatam,
Vel dona multa caris quæ gratiora gazis
Exploret, ast inani se Sysiphi labore
Vel Tantali appetitu dicat fuisse falsum,
Est rebus impolitus vel certè ineruditus.
Nam sunt metalla duris perfectiora testis
Inclusa, ne quis alto sopore pressus illa
Enucleet, tenellæ cui sunt manus labore:
Ne claustra tam arcta rumpat compagibus solutis
Ex plebe cerdo crassus cui nil adest salilli,
Vel ingenI, vel artis vel eruditionis,
Prædator ullus aut fur ad tanta sacra ne intret.
En ut vides sacella Regum dicata gemmis,
Auroq; dona clathris & ferreis catenis
Hinc inde vincta noctu diuq;, sic & auri
Mysterium latescit sub arctione muro,
Non ille diruendus est fraude nec manus vi,
Sed clave perforandus ut ostium patescat;
Si cardines aperti sint ritè, ne timescas
Machaonis paratas opes, opemq; sanam
Quin scrinio stupescens scrutaberis sub uno:
Hoc si negare perges cum tale non recurrat
Vulgò, nec innotescat, inertiam laboris
Fugam, rudemq; mentem vestire tendis astu
Pulcer-

Pulcerrimi coloris, postquam arbiter fidelis
Optes rei negatæ, ceu cognitæ videri.
Hinc stultior Corabo, Midæ sodalis audis.
Euphorbii Calentis, vel Scammoni triuncem
Huic Oxymellis acris libram vel Elleborati
Offerte, nec sit ullis post exbibenda somnus:
Purgatius cerebrum quò fiat Elleborato,
Subtiliorq; sensus sagaciorq; mentis
Discursus à tenebris & nube liberatus.
Non sufficit saburram ter centies per alvum
Jecisse, duplicatas sed per vices juvabit,
Ut omne virus efflet per os calumniosum,
Emittat & recessus per corporis profundos:
Post non negabit auro quid virium latere,
Quo roboretur æstu pressum cor aut maligna
Ex tabe palpitando saltu, calore egenum.
An non scelus putandum, seu crimen illud ingens
Quod quis Dei sacratas opes, & alta dona,
Quæ sunt recondita auri claustris, volens fateri,
Quod ipse non notarit, sed alteris probata
Plus millies, recuset? Annon negabit idem,
Si fas sit, omne quod vel viderit futurum
Factumvè, vel capessat? ô mens iniqua stulti.
Si quis minus potentem Regis manum æstimabit
Mortalium vel audax verbo resistat illi,
Impunè vix abibit: quid ergò censeamus,
Hos posse non teneri labiis reos scelestæ
Qui pernegent opimas opes Dei Tonantis,
Regumq; Regis auro quas indidit micanti?

Hic

Hic ſcilicet ſupinè jacent velut ſepulti
Inertiæ ſuæ antro, Cyclopibus civili;
Vix unde ſolis ortum nec ſentiant diei
Lucem, ſopore glirem vincendo ſomnolentum.
Quin excitemus altâ mox voce dormientes,
Et increpemus acri ventres pigros ſuſurro.
Quid cæcutitis, heus vos, quid ſtertitis ſodales?
Non hæc dicata ſomnis eſt hora nec quieti:
Adeſte, lux ocellos perſtringat impotentes
Umbris tenebroſis & nubibus remotis.

Vive, vale Lector, ſi quid ſcis rectius illis
Candidus imperti: ſi non his
utere gratus

SOLI DEO GLORIA.

ERPHORDIÆ,

Ex typographéo Johannis Röhbockii,
Impensis Johannis Birckneri
Bibliopolæ.

ANNO M, DC, XVIII.